MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80397-25

AUTHOR:

DIETRICH, GOTTWALT

TITLE:

DE ENUNTIATIONUM TEMPORALIUM...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1885

Master Negative #

91-80397-25

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG91-B98616          Acquisitions      NYCG-AE
Record 1 of 0 - SAVE record
+
  ID:NYCG91-B98616    RTYP:a     ST:s    FRN:      MS:        EL:        AD:11-22-91
  CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?   MOD:      SNR:       ATC:       UD:11-22-91
  CP:nyu     L:lat     INT:?    GPC:?   BIO:?     FIC:?      CON:???
  PC:r      PD:1991/1885        REP:?   CPI:?     FSI:?      ILC:????  MEI:?   II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:      RR:          COL:       EML:      GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 10   Dietrich, Gottwalt.
  245 10   De enuntiationum temporalium homericarum ex antiquissima structura par
        atactica transitu in hypotacticam‡h[microform]. ‡bDissertation inaugural
        is philologica quam...‡cpublice defendet auctor Gottwalt Dietrich, Saxob
        orussus.
  260 0    Halis Saxonum, ‡bE. Karras, ‡c1885.
  300      49 p. ‡c22 cm.
  LDG      ORIG
  QD       11-22-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 12-27-91 INITIALS ER

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

DE ENUNTIATIONUM TEMPORALIUM HOMERICARUM EX ANTIQUISSIMA STRUCTURA PARATACTICA TRANSITU IN HYPOTACTICAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS PROPOSITIS

DIE VI. M. MARTII A. MDCCCLXXXV. HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GOTTWALT DIETRICH,

SAXOBORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

AUGUST KAUFMANN, STUD. PHIL. ET THEOL.

PAUL HORN, DD. PHIL

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXV.

PARENTIBUS CARISSIMIS

PIETATIS

MONUMENTUM.

Constat inter viros doctos cum in omni poesis Graecae genere, tum in carminibus Homericis, quae dicuntur, enuntiationum structuram nondum esse tam expeditam, rationem, qua sententiae inter se excipiunt, nondum esse tam perspicue explicatam quam apud prosae orationis scriptores Graecos. Cuius rei aliis temporibus aliae causae sunt allatae. Hodie vero nemo dubitat, quin et omnes enuntiationes dependentes e principalibus sint ortae et coniunctiones, quibus enuntiationes hypotactice inter se coniunguntur, primitus fuerint adverbia. Cui rationi illustrandae prospero eventu operam dedit Fr. Thiersch. Qui cum omnem linguae Graecae scientiam ab Homericis carminibus ducendam esse intellexisset, ratione ea, qua simplicia compositis, posterioribus priora opponuntur, ad Homerun adhibita, Homericarum enuntiationum structuras haud paucis locis pro paratacticis habendas esse aut certe nondum prorsus ad perfectam hypotaxim pervenisse demonstravit.[1]) Nec tamen hanc rem l. l. ea potuit pertractare diligentia, qua opus est ad eam prorsus perspiciendam. Iam nos enuntiationes temporales Homericas propterea tractandas nobis proposuimus, quod in iis satis multa relicta sunt structurae antiquissimae paratacticae, ita ut ex iis parataxis transitus in hypotaxim dilucide perspici possit.

1) Griechische Grammatik § 315 ff.

Pars prior.

De parataxis enuntiationum temporalium transitu in hypotaxim disputatur in universum.

Priusquam ad singula transeamus, in universum disputandum est et de coniunctionibus particulisque, quae in ea re, quam tractare volumus, usu veniunt et de toto hac parataxis hypotaxisque genere, ut principia rationis, quam in commentatione nostra sequemur, perspiciantur. Atque coniunctiones quidem, a quibus enuntiationes temporales incipiunt, primitus adverbia fuisse constat. Hanc igitur solam vim habebant, ut confirmarent rationem temporalem, quae aut in una enuntiatione est aut inter complures enuntiationes intercedit. Iam in horum adverbiorum vim principalem inquirere hic nostrum non est: neque enim ad rem propositam pertinet. Illud vero certum est, earum coniunctionum temporalium, quae a stirpibus relativis derivantur, tres (*ὅτε, ὄφρα, ἕως*) sensum indefinitum habere, ita ut quodammodo antiquiorem adverbiorum vim retinuisse dici possint. Et hac quidem in re Thiersch l. l. acquievit. Quodsi horum adverbiorum vim principalem demonstrativam fuisse censeamus, non liquet, quemadmodum ex ea indefinitam illam significationem derivemus. Contra non sine iure C. Hentze vim interrogativam pronomini relativo vindicat,[1]) quod ipsum in adverbia illa a stirpibus relativis derivata eodem iure cadit. Ex hac interrogativa significatione indefinitam ducere, non est absonum.

Haec vero adverbia temporalia in coniunctionum propriam vim abeunt, si earum ratione temporali tempus enuntiationis insequentis cuiusdam definitur, i. e. si enuntiatio temporalis insequenti enuntiationi cuidam adiungitur: ad hanc adiunctionem exprimendam eae potissimum usurpatae sunt particulae, quae copulativae et adversativae dicuntur:

1) De pron. rel. ling. Gr. origine atque usu Hom. Gottingae 1863. Diss.

καί, δέ, ἄρα. Etenim particula *ἄρα* iure in particulis copulativis numeratur. Quae quin derivanda sit ex stirpe illa verbali, quae est in verbo *ἀρ-αρ-ί-σκω* similibusque vocabulis, dubium non est: unde pro hac radice, quae adnectendi significationem habet, particula *ἄρα* adiungendi notionem quandam prae se fert. Iam licet haec particula, apud Homerum plus millies adhibita, persaepe levioris ponderis affirmativae particulae vim exhibeat, tamen in his, de quibus disputabimus, exemplis Homericis vim copulativam quodammodo retinuisse videtur. Atqui non minus certum est, in particulis *καί* et *δέ* graviorem vim paratacticam esse quam in *ἄρα*. Quodsi ab una harum particularum apodosis incipit, antiquissimae structurae paratacticae aliquantum relictum esse videtur. Ii autem loci, in quibus *καί* et *δέ* apodosim incipiunt, antiquiorem parataxis in hypotaxim transitus gradum praebent, quam ii, ubi *ἄρα* legitur. — Ad has particulas saepissime temporis adverbia demonstrativa, velut *ἔπειτα, τότε, τόφρα, τέως,* applicantur, quibus coniunctionis vis temporalis augeatur et confirmetur. Porro videmus particulis paratacticis omissis sola illa temporis adverbia demonstrativa in apodosi usurpari, quae tamen permultis locis omittuntur. Quae si usurpantur, parataxis antiquae aliquantulum relictum esse videtur. Coniunctiones enim non tantam vim relativam prae se ferunt, ut adverbia demonstrativa omittantur. Sin omittuntur haec adverbia, structura pro hypotactica haberi potest. Hypotaxis denique ad perfectissimum statum pervenisse videtur, si enuntiatio principalis dependenti antecedit: ita demum haec re vera pendet ab illa, cui nihil nisi sententiae supplementum quoddam affert. Nam qui dicta audit vel scripta legit, eius in mentem prior recipitur ea enuntiatio, quae prior pronuntiatur. Huic nimirum maiorem animi intentionem admovet. Quam ob rem si enuntiatio principalis dependentem sequitur, maius quoddam pondus dependenti tribuitur, quam si dependens sequitur principalem.

Iam vero cum paullatim parataxis in hypotaxim transierit, huius transitus gradus quidam observari possunt. In commentatione vero nostra ita singula exempla Homerica per-

lustrabimus, ut primum eos locos tractemus, ubi coniunctio temporalis sensu adverbiali usurpari dici potest, qua in re ipsa parataxis est servata; deinde eos, ubi coniunctione temporali in vim relativam, quae dicitur, iam transgressa particulae copulativae *καί, ἄρα* et adversativa *δέ,* quae a sensu copulativo apud Homerum non multum discedit, in apodosi positae structurae paratacticae aliquantum retinuerunt; tum eos, ubi particulis talibus paratacticis omissis enuntiatio principalis dependentem sequitur. Quarto denique loco eos paucis attingam, ubi structura hypotactica ad perfectionem pervenisse videtur, propterea quod enuntiatio principalis priorem locum obtinet. Simul autem perpendendum erit, in quas significationes coniunctiones temporales inde ab antiquissima, quam quidem dispicere possimus, significatione adverbiali sint deductae.

Namque cum coniunctionum temporalium quaedam non sola hac significatione utantur temporali, sed *ἐπεί* causalem praeterea habeat, *ὄφρα* et *ἕως* finalem, *ὡς* comparativam, quaeritur, quae significationes primariae esse videantur. Qua in re viri docti inter se consentiunt: quia enim hominum animi prius temporis rationem habent quam causae aut finis, dubium esse non potest, quin *ἐπεί* prius ad rationem temporalem quam ad causalem, *ἕως* et *ὄφρα* prius ad temporalem quam ad finalem rationem definiendam usu venerint. *Ὡς* vero in numero coniunctionum temporalium haberi non potest; notio enim comparativa in ea praevalet, quae e temporali orta esse dici non potest. Inde denique, quod enuntiata causalia et finalia hypotaxim praebent multo perfectiorem quam temporalia, idem illud sequi videtur, ut coniunctionum temporalium significationes causalis et finalis posterioribus temporibus sint ortae, quam ipsa vis temporalis.

Vidimus igitur, duabus potissimum rebus structurae paratacticae rationem enucleari: partim si coniunctiones temporales sensu adverbiali usurpantur, partim si apodosis incipit a *καί, δέ, ἄρα.* Ceterum hypotaxis perspicietur aut sensim e parataxi prodiens aut iam perfecta. Si autem apodosis neque a copulativis neque a demonstrativis particulis incipit, duplex esse potest ratio, cur structura nondum perfecte sit

hypotactica: apodosis enim aut aliis enuntiatis ab enuntiatione temporali disiungi, aut sententiam afferre potest, quam cum enuntiatione temporali consociare non licet. Id in eos locos cadit, ubi particula *ἐπεί* in oratione post vocativum posita viris doctis difficultatem quandam movit. Dubium enim est, utrum hi loci parataxi attribuendi, an in eorum numero habendi sint, in quibus aut licentiae cuidam poeticae indulgemus aut posteriorum temporum additamentum agnoscendum esse putamus. Illa sententia facile demonstrari non potest: ad hanc probandam certi quidquam multo minus afferri poterit; neque enim in re tam difficili quidquam affertur, quod non in incertae coniecturae suspicionem vocetur. Quam ob rem in universum acquiescendum est in explicandi ratione illa adhuc usitata, qua particula *ἐπεί* sensu causali usurpata causam ipsius appellationis vel sententiae insequentibus descriptae afferat; etsi in nonnullos locos hanc explicationem non quadrare infra videbimus.

Totum denique hoc coniunctionum, a quibus enuntiata temporalia incipiunt, genus ex singularum variis significationibus dividitur in partes tres. Possunt enim coniunctiones temporales spatium vel punctum temporis significare, quo aut post quod aut ante quod status vel actio quaedam fit, fiet, facta est. Primi generis plurimae sunt: *ὅτε, εὖτε, ὁσσάκις, ἦμος, ἡνίκα, ὄφρα, ἕως, ὡς*; secundi: *ἐπεί, ἐξ οὗ*; tertii: *ὄφρα, ἕως, εἰςόκε, πρίν, πάρος.* Hanc divisionem accuratam non esse, inde intellegitur, quod coniunctiones *ὄφρα* et *ἕως* binis generibus sunt addictae. In commentatione nostra eam sequemur rationem, ut quo plura dici debent de singulis coniunctionibus, eo prius eas tractemus, nisi quod propter similem quandam significationem ad *ἐπεί* adiungemus *ἐξ οὗ,* cui particulae *εἰςόκε* opponitur. In universum de enuntiationum temporalium apud Homerum usu disputaverunt F. Thuemen, Berolini, 1866 et P. J. Oseen, Lund 1868. Praeter ceteras *πρίν* et *πάρος* coniunctiones Homericae virorum doctorum studio valde sunt illustratae. De coniunctione *ὅτε* E. H. Friedlaender, Berolini, 1860, satis accurate disputavit, de *εὖτε* Capellmann, Confluentiae, 1850.

Quae restant coniunctiones temporales apud Oseenium tam generaliter sunt tractatae, ut in eas accuratius inquirere debeamus.

Pars posterior.

Tractantur singulae coniunctiones temporales.

I. Ἐπεί.

De particulae ἐπεί origine dubitatio non est. Iam Etymologicum Magnum interpretatur p. 356, 7: *ἐκ τῆς ἐπὶ προθέσεως καὶ τοῦ εἰ συναπτικοῦ συνδέσμου.*[1]) Quod a Curtio confirmatur, qui praepositionem ἐπί adverbii copulativi notione praeditam enuntiationi ab εἰ incipienti antecedere dicit[2]), quam sequi debeat. Expectamus profecto a notione adverbiali „dann“, quae sententias complures ratione temporali inter se conectit, enuntiationem principalem incipere sive insequentem sive praecedentem, non eam enuntiationem, in qua εἰ legitur. Particula ἐπί vero, cum temporali rerum successioni exprimendae inserviat, quo tempore particula εἰ in coniunctionis temporalis vim relativam abiit, ad hanc confirmandam apposita esse videtur. Neque etiam particulam ἐπεί ex ἐπί et εἰ derivandam esse negat L. Lange qui eam non sine iure cum similibus illis verborum conformationibus ἐξ οὗ, ἐν ᾧ, εἰς ὅ consociat.[3]) Unde factum est, ut in commentatione nostra enuntiationes ab ἐξ οὗ et εἰςόκε incipientes ad ἐπεί statim adiungeremus. Quod Lange dubitat, utrum posterior particulae ἐπεί pars coniunctionem εἰ praebeat necne, hoc ad rem minus pertinet. Sed haec opinio probabilitatis specie quadam commendatur.

1) cfr. praeterea Schol. ad Dion. Thracem p. 954, 12; 967, 3; Herodian I 516, 10; II 508, 24.

2) Grundzüge der griechischen Etymologie (V) p. 264. cfr. Erläuterungen (III) p. 193.

3) Abhandlungen der Kgl. sächs. Ges. d. W. „über *EI*“ 1874, p. 315, Anmerkung 25.

Ἐπεί igitur significare videtur „dann wenn“. Iam si eam sententiam sequimur, quam permulti viri docti proponunt[1]), *αἰ, εἰ* = *βαι* [*βαίκαν* = *εἴ κε Κρῆτες* Hesychius] ex antiquiore *σϝαι* explicandum esse, quocum umbr. sve, latin. svei, si, se, goth. sva, sve esse comparanda, probabili quadam ratione investigare licet, cur priorem particulae ἐπεί syllabam productam videamus sex locis, ubi ἐπεί versum incipit:

Χ 379 *ἐπεὶ δὴ τόνδ' ἄνδρα θεοὶ δαμάσασθαι ἔδωκαν,*
Ψ 2 *ἐπεὶ δὴ νῆάς τε καὶ Ἑλλήσποντον ἵκοντο,*
δ 13 *ἐπεὶ δὴ τὸ πρῶτον ἐγείνατο παῖδ' ἐρατεινήν,*
θ 452 *ἐπεὶ δὴ λίπε δῶμα Καλυψοῦς ἠυκόμοιο,*
φ 25 *ἐπεὶ δὴ Διὸς υἱὸν ἀφίκετο καρτερόθυμον,*
ω 482 *ἐπεὶ δὴ μνηστῆρας ἐτίσατο δῖος Ὀδυσσεύς,*

Haec res fortasse e formis illis antiquioribus *ἐπι-σϝαι, ἐπι-σϝει, ἐπϝει* etc. explicari potest.[2]) Praeterea si, id quod minime certum est, attenuatam quandam significationem demonstrativam pro principali habemus, ita ut εἰ cum Schoemanno[3]) primitus idem significavisse dicamus ac latinum adverbium demonstrativum „sic“, (quod a „si“ sola demonstrativa illa syllaba „ce“ discerni apparet), non absonum est, particulam ἐπεί proprie „tum sic“ significavisse. Sed haec res certis indiciis Homericis enucleari iam non potest, praeterquam quod duobus locis γ 103, ζ 187, ubi apodosis prorsus deest, de significatione illa primaria cogitare, a similitudine veri non abhorret.

γ 103 *ὦ φίλ', ἐπεί μ' ἔμνησας οἰζύος, ἣν ἐν ἐκείνῳ*
δήμῳ ἀνέτλημεν μένος ἄσχετοι υἷες Ἀχαιῶν κτλ.
γ 108 *ἔνθα δ' ἔπειτα κατέκταθεν ὅσσοι ἄριστοι κτλ.*
ζ 187 *ξεῖν', ἐπεί οὔτε κακῷ οὔτ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας,*
Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον Ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν,

1) Pott, Etym. Forsch. 1, 138[1]; Benfey, Wurzellex. 2, 48; Curtius, Grundzüge 394[5], Erläuterungen S. 195; Ebel, Kuhns Zeitschr. 6, 209; Delbrück und Windisch, Synt. Forschungen S. 70; Kvičala, Unters. auf dem Gebiet der lateinischen Pronomina, Wien 1870, S. 54.

2) cfr. Ebeling, lex. Hom. sub voce ἐπεί.

3) Redeteile.

ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν, ἑκάστῳ·
καί που σοὶ τάδ᾽ ἔδωκε, σὲ δὲ χρὴ τετλάμεν ἔμπης·
νῦν δ᾽, ἐπεὶ ἡμετέρην τε πόλιν καί γαῖαν ἱκάνεις,
οὔτ᾽ οὖν ἐσθῆτος δευήσεαι οὔτέ τευ ἄλλου κτλ.

Nicanor ad hos locos adnotat: *οὐκ ἀποδίδωσι τῷ ἐπεὶ ὁ ποιητής· Ὁμηρικὸν δέ ἐστι τὸ ἦθος.* Sequitur, ut Nicanor his locis Homericae poesis propriam quandam, i. e. postea non usitatam, consuetudinem intellexerit. Iam etsi his locis particulam *ἐπεὶ* vertendam esse „tum sic“ non contendo, tamen ad explicandam structuram haec res apta esse videtur. His similibusque locis Fäsi et Ameis enuntiatione ab *ἐπεὶ* incipiente parenthetice causam afferri dicunt, partim ipsius appellationis partim sententiae insequentibus descriptae. Haec explicandi ratio bene quadrat ad solos locos hos tres:

Z 382 *Ἕκτορ, ἐπεὶ μάλ᾽ ἄνωγας ἀληθέα μυθήσασθαι,*
οὔτε πῃ ἐς γαλόων οὔτ᾽ εἰνατέρων εὐπέπλων,
οὔτ᾽ ἐς Ἀθηναίης ἐξοίχεται, κτλ.
N 775 *Ἕκτορ, ἐπεί τοι θυμὸς ἀναίτιον αἰτιάασθαι,*
ἄλλοτε δή ποτε μᾶλλον ἐρωῆσαι πολέμοιο
μέλλω, κτλ.
α 231 *ξεῖν᾽, ἐπεὶ ἂρ δὴ ταῦτά μ᾽ ἀνείρεαι ἠδὲ μεταλλᾷς,*
μέλλεν μέν ποτε οἶκος ὅδ᾽ ἀφνειὸς καὶ ἀμύμων
ἔμμεναι, κτλ.,

ubi enuntiationes ab *ἐπεὶ* incipientes causas afferunt, cur personae appellatae id responsum dent, quod subsequitur. Desideratur enim versus ille, qui aliis locis, velut *Z* 333, legitur, ubi post vocativum structura hypotactica est perfecta: *τοὔνεκά τοι ἐρέω· σὺ δὲ σύνθεο καί μευ ἄκουσον.*[1]) Sed quia *Z* 382, *N* 775, *α* 231 hoc sententiae supplementum deest, hi tres loci discernendi sunt a *Z* 333: praebent enim hypotaxim nondum tam expeditam quam *Z* 333. In illos vero locos *γ* 103 et *ζ* 187 supplementum illud non maiore cum probabilitate cadit, quam id quod nos ad explicandam structuram proposuimus. Nam apodosis neque reperitur neque e sequentibus suppleri potest. Quae res clarius apparebit, si *γ* 103 comparaverimus cum duobus locis *α* 231 et *Z* 333:

1) Fäsi ad *N* 775.

α 231 enim sequitur apodosis, quae tamen e sententiarum nexu enuntiationis ab *ἐπεί* incipientis apodosis esse non potest: ita hic responsi insequentis causa affertur. Iam etiamsi versum illum, qui *Z* 334 sequitur, cogitatione supplemus, tamen enuntiationum structura *α* 231 soluta et impedita, *Z* 333 coniuncta et expedita est. Contra *γ* 103 tota Nestoris narratione *οἰζύς* illa describitur, quae enuntiatione ab *ἐπεί* incipiente affertur: laborum memor, quos Graecorum principes et ante Troiam et in reditu tulerunt, Nestor Telemacho id responsum non dat, quod hic v. 92 ff. petiverat:[1]) de Ulixis enim reditu nihil dicit, quamvis ipsius mentionem faciat (vv. 121, 126, 163). Quam ob rem supplementum illud huc non quadrat. Causam vero appellationis ipsius enuntiatione ab *ἐπεί* incipiente afferri, multo minus comprobari potest. Et hoc et illud in *ζ* 187 cadit. Nam si Fäsi (ad l.) versu 191 versum 187 „quamvis forma mutata“ excipi arbitratur, nos versu 191 enuntiationem prorsus diversam exhiberi dicamus necesse est. His igitur duobus locis particulae *ἐπεί* significationis adverbialis vestigia si minus dilucide demonstrantur, at certe non obscure discernuntur.

Nunc de duobus locis dicendum est, ubi et apodosis e sequentibus enuntiatis supplenda est et *ἐπεί* sensu temporali usurpatur.

P 657 *βῆ δ᾽ ἰέναι ὥς τίς τε λέων ἀπὸ μεσσαύλοιο,*
ὅς τ᾽ ἐπεὶ ἂρ κε κάμῃσι κύνας τ᾽ ἄνδρας τ᾽ ἐρεθίζων,
οἵτε μιν οὐκ εἰῶσι βοῶν ἐκ πῖαρ ἑλέσθαι
πάννυχοι ἐγρήσσοντες· κτλ.
P 665 *ὣς ἀπὸ Πατρόκλοιο βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος*
ἤιε πόλλ᾽ ἀέκων· κτλ.
Ω 41 *λέων δ᾽ ὣς ἄγρια οἶδεν,*
ὅς τ᾽ ἐπεὶ ἂρ μεγάλῃ τε βίῃ καὶ ἀγήνορι θυμῷ
εἴξας εἶσ᾽ ἐπὶ μῆλα βροτῶν, ἵνα δαῖτα λάβῃσιν·
ὣς Ἀχιλεὺς ἔλεον μὲν ἀπώλεσεν κτλ.

Hos duos locos uni structurae paratacticae speciei attribuendos esse, inde apparet, quod et *P* 658 et *Ω* 42 subiectum *ὅς* verbo finito caret: hic cum in comparationibus saepe so-

1) id quod Fäsi ad l. sine iure defendit.

lutiorem i. e. antiquiorem quandam enuntiationum structuram adhiberi constet, sententiae a Fäsio propositae adstipulor, qua apodosis verbum e comparationis clausula supplendum esse vult. Poetae enim in talibus comparationibus componendis plurimum interest, quam celerrime ad finem pergere, in quo principalis comparandi notio est. Ita fit, ut verbum finitum enuntiati cuiusdam omittatur. — Ut vero minus accuratam horum locorum structuram melius perspiciamus, conferamus locos hos:

O 362 *ῥεῖα μάλ᾽, ὡς ὅτε τις ψάμαθον πάις ἄγχι θαλάσσης,*
ὅς τ᾽ ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιέῃσιν,
ἄψ αὖτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων.
O 679 *ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν εὖ εἰδώς,*
ὅς τ᾽ ἐπεὶ ἐκ πολέων πίσυρας συναείρεται ἵππους,
σεύας ἐκ πεδίοιο μέγα προτὶ ἄστυ δίηται,

ubi coniunctivo aoristi ad *ἐπεί* addito apodosis non desideratur, quae, pendens ab *ὅστε*, *O* 364 aoristi gnomici qui dicitur, *O* 681 coniunctivi praesentis formam prae se fert. *P* 658 autem coniunctivus aoristi, cui *κε* adiectum est, in enuntiatione ab *ἐπεί* incipiente sensum futuri obtinet, qui *Ω* 43 verbo *εἶσι* dilucide cognoscitur. Quae cum ita sint, mirum esse non potest, quod Peppmüller poetam, quicunque rhapsodiam *Ω* scripsit, eum, qui *P* composuit, imitatum esse censet.[1]) — Certe iam veteres commentatores hic structuram esse interruptam agnoverunt; cfr. Schol. Ven. ad *Ω* 42: *περισσόν ἐστιν, εἰ μὴ λείπει τινός*. Nicanor (ad l.), ut huic loco mederetur, *εἴξας* in *εἴξῃ* mutandum esse arbitratus est, quod aut particula *ἐπεί* esset supervacanea aut participium *εἴξας* verbi finiti locum obtineret. Eustathius (*παρεκβολαί* 1338, 17: *μετοχή ἀντὶ ὁριστικοῦ ῥήματος*) eidem favet rationi et optativum verbi substantivi omissum esse censet, ita ut *θυμῷ εἴξας εἴη* solito illo usu idem sit ac *θυμωθείη*. Iam inter recentiores Bentley *εἴξασκε*, Bothe *ὅστ᾽ ἐπὶ ἄρ* proposuerunt: ad hos se applicat Nauck, qui particulas *ἐπεὶ ἄρ* vitiosas esse adnotat. Contra Doederlein verbum *εἶσι* cum *ἐπεί* coniungit et ad *ὅστε* e comparationis clausula

1) Kommentar des 24. Buches der Ilias, Berlin 1876.

supplet *ἔλεον ἀπόλλυσι*. Hanc explicandi rationem sequamur, quippe quae prorsus nitatur in solutiore illa comparationum natura. *P* 658 autem inter viros doctos ea de re controversia fuit, utrum *κέ* particula esset an verbi reduplicatio (Schol. A. Eustathius 1121, 60). Hic, praeterquam quod nonnulli *ἐπεὶ ἄν κε* proposuerunt, *ἐπεὶ ἄρ κε κάμῃσι* scribendum esse puto, quae sententia Herodiani et Aristarchi auctoritate commendatur.

Iam sequuntur novem loci, ubi vera apodosis cognoscitur, quae tamen aliis enuntiatis interpositis a dependente disiungitur et plerumque incipit a particulis paratacticis: his novem locis, quamquam *ἐπεί* plerumque sensum causalem exhibet, quem post temporalem (fortasse e temporali) ortum esse scimus, tamen liberioris structurae exempla quaedam reperiuntur.

Γ 59 *Ἕκτορ, ἐπεί με κατ᾽ αἶσαν ἐνείκεσας οὐδ᾽ ὑπὲρ αἶσαν*
αἰεί τοι κραδίη πέλεκυς ὥς ἐστιν ἀτειρής.

Hic Scholiasta (Ven. Dindorf p. 162) adnotat: *τὸ ἑξῆς· ἐπεί με κατ᾽ αἶσαν ἐνείκεσας, μή μοι δῶρ᾽ ἐρατὰ πρόφερε χρυσέης Ἀφροδίτης· διὰ μέσου δέ ἡ παραβολή*. Eodem iure Fäsi sententiam principalem versu 64 contineri dicit: quatuor versus 60—63 parenthetice a Paride interpositos esse, ut Hectorem benignum redderet. Sed versuum 59 et 64 conexus adeo non plane apparet, ut totius orationis sententiam principalem non versu 64, sed vv. 69 et 70 contineri pro certo sit habendum.

N 68 *Αἶαν, ἐπεί τις νῶι θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν*
μάντει εἰδόμενος κέλεται παρὰ νηυσὶ μάχεσθαι,
οὐδ᾽ ὅ γε Κάλχας ἐστί, θεοπρόπος οἰωνιστής . . . .
v. 73 *καὶ δ᾽ ἐμοὶ αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι φίλοισιν*
μᾶλλον ἐφορμᾶται πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι.

Expectamus, apodosis loco, imperativum vel coniunctivum, qui adhortationem exprimit, velut „age dum dimicemus“. Haec vero sententia versibus 73 ff. continetur: nam si Aiax Oilei filius se ipsum ad dimicandum paratum esse praedicat, hac ipsa re Aiacem Telamonium adhortatur, ut se in pugnam sequatur. Sed hoc quoque loco sententiarum ratio non magis est coniuncta, quam *Γ* 59. Accedit, quod

apodosis a particulis paratacticis *καί, δέ* incipit. Perspiciuntur igitur parataxis vestigia. Quod Fäsi (ad l.) versu 73 apodosim contineri negat, fallitur. Licet enim poeta v. 46 duos Aiaces, iam antequam Neptunum eos adhortantem inducat, pugnandi cupidos describat: at certe adverbio *μᾶλλον* (v. 74), Aiacem Oilei filium magis quam antea inflammatum esse exprimit et vv. 77 ff. Telamonium se statim (*νῦν* v. 77) cum ipso Hectore dimicare velle gloriantem facit. Apparet, utriusque audaciam auctam esse, postquam (et quia) deus eos adhortatus est. Ita hic transitus significationis temporalis in causalem optime cognoscitur: in actione adhortandi enim, post quam illud *μᾶλλον ἐφορμᾶσθαι* fit, causa posita est, cur hoc fiat.

Σ 101 *νῦν δ᾽ ἐπεὶ οὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν*
οὐδέ τι Πατρόκλῳ γενόμην φάος οὐδ᾽ ἑτάροισι
τοῖς ἄλλοις, οἳ δὴ πολέες δάμεν Ἕκτορι δίῳ . . .
Σ 114 *νῦν δ᾽ εἶμ᾽, ὄφρα φίλης κεφαλῆς ὀλετῆρα κιχείω*

Recte Scholiasta adnotat: *τὸ ἑξῆς· νῦν δ᾽ ἐπεὶ οὐ νέομαί γε, εἶμ᾽ ὄφρα φιλῆς κεφαλῆς ὀλετῆρα κιχείω· τὰ δὲ ἄλλα διὰ μέσου.* Eustathius 1153, 32. Eodem iure Spitzner supplementum *θανοῦμαι*, quod Köppen, Heyne, Bothe cogitatione subici iubent, improbat, quod eo Achilli tribuatur aliquid quod dicere nec voluerit nec potuerit. Hic quoque apodosis a particula paratactica quadam (*δέ*) incipit. De interrupta vero et paratactica huius loci structurae natura rectius iudicabimus, si comparaverimus.

Ψ 150 *νῦν δ᾽ ἐπεὶ οὐ νέομαί γε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν*
Πατρόκλῳ ἥρωι κόμην ὀπάσαιμι φέρεσθαι.

Eidem illi speciei tribuendi sunt hi loci:

γ 211 *ὦ φίλ᾽, ἐπεὶ δὴ ταῦτα μ᾽ ἀνέμνησας καὶ ἔειπες,*
φασὶ μνηστῆρας σῆς μητέρος εἵνεκα πολλοὺς
ἐν μεγάροις ἀέκητι σέθεν κακὰ μηχανάασθαι
εἰπέ μοι, ἠὲ ἑκὼν ὑποδάμνασαι, ἦ σέ γε λαοὶ κτλ.
δ 204 *ὦ φίλ᾽, ἐπεὶ τόσα εἶπας, ὅσ᾽ ἂν πεπνυμένος ἀνὴρ*
εἴποι καὶ ῥέξειε, καὶ ὃς προγενέστερος εἴη·
τοίου γὰρ καὶ πατρός, ὃ καὶ πεπνυμένα βάζεις . . .
212 *ἡμεῖς δὲ κλαυθμὸν μὲν ἐάσομεν κτλ.*

ζ 262 *αὐτὰρ ἐπὴν πόλιος ἐπιβείομεν, ἣν πέρι πύργος*
υψηλός, καλὸς δὲ λιμὴν ἑκάτερθε πόληος . . .
289 *ξεῖνε, σὺ δ᾽ ὦδ᾽ ἐμέθεν ξυνίει ἔπος, ὄφρα τάχιστα*
πομπῆς καί νόστοιο τύχῃς παρὰ πατρὸς ἐμοῖο·
δήεις ἀγλαὸν ἄλσος Ἀθήνης ἄγχι κελεύθου . . .
ϑ 246 *ξεῖν᾽, ἐπεὶ οὐκ ἀχάριστα μεθ᾽ ἡμῖν ταῦτ᾽ ἀγορεύεις,*
ἀλλ᾽ ἐθέλεις ἀρετὴν σὴν φαινέμεν κτλ.
241 *ἀλλ᾽ ἄγε νῦν ἐμέθεν ξυνίει ἔπος κτλ.*
ξ 149 *ὦ φίλ᾽, ἐπεὶ δὴ πάμπαν ἀναίνεαι, οὐδέ τι φῄσθα*
κεῖνον ἐλεύσεσθαι, θυμὸς δέ τοι αἰὲν ἄπιστος·
ἀλλ᾽ ἐγὼ οὐκ αὔτως μυθήσομαι, ἀλλὰ σὺν ὅρκῳ
ὡς νεῖται Ὀδυσεύς·
ρ 185 *ξεῖν᾽, ἐπεὶ ἂρ δὴ ἔπειτα πόλιν δ᾽ ἰέναι μενεαίνεις*
σήμερον, ὡς ἐπέτελλεν ἄναξ ἐμός, ἦ σ᾽ ἂν ἐγώ γε
αὐτοῦ βουλοίμην σταθμῶν ῥυτῆρα λιπέσθαι
190 *ἀλλ᾽ ἄγε νῦν ἴομεν.*

Ac γ 211 quidem veram apodosim ab *εἰπέ μοι* v. 214 incipere apparet, praesertim cum versum 214 nullo alio modo cum praecedentibus coniunctum esse videamus. Ad δ 204 vero Nicanor observat: *τὸ ἑξῆς ἐστίν· ἐπεὶ τόσα εἶπας, ἡμεῖς δὲ κλαυθμὸν μὲν ἐάσομεν* (v. 212). Idem ad ζ 262 adnotat: *τὸ ἑξῆς οὕτως· αὐτὰρ ἐπὴν ἐπιβείομεν, ξεῖνε, σὺ δ᾽ ὦδ᾽ ἐμέθεν ξυνίει ἔπος* [H. Q. T.] *αὐτὰρ ἐπὴν πόλιος ἐπιβάζομεν, δήεις ἀγλαὸν ἄλσος· οὕτω τὸ ἑξῆς* [Q. H.] Versus 289 et 291 versus 262 veram continent apodosim: qui intercedunt versus, quibus Phaecum oppidum et Nausicaae animus cautus describuntur, exemplum exhibent interruptae structurae.

Porro sententiis interpositis vera apodosis sequitur ϑ 236 in versu 241 ab *ἀλλ᾽ ἄγε*, ξ 149 in versu 151 ab *ἀλλ᾽ ἐγώ*, ρ 185 in versu 190 ab *ἀλλ᾽ ἄγε νῦν* incipiens: ita ut tribus his locis *ἐπεί* adhortationis insequentis causam afferat. Qua in re apodosis forma utitur paratactica. Ameis vero ξ 149 *ἐπεί* causam afferre dicit appellationis *ὦ φίλε*, ρ 185 appellationis *ὦ ξεῖνε*, quam pro *ξεῖν᾽ ἴθι* dictam esse vult: nec tamen certis causis hoc confirmare potuit. — Ab his locis, in quibus structurae paratacticae vestigia comparent, disiungendi ii sunt, ubi particula *ἐπεί* post vocativum posita et ex enuntiationum forma et ex sententiarum conexu hypo-

tactice cum apodosi coniuncta est. Id cadit in *Η* 288 *Αἶαν, ἐπεί τοι δῶκε θεὸς μέγεθός τε βίην τε καὶ πινυτήν, περὶ δ' ἔγχει Ἀχαιῶν φέρτατός ἐσσι, νῦν μὲν παυσώμεσθα μάχης καὶ δηιοτῆτος* ... Hector Aiacem adhortatur, ut nocte appropinquante certamen dirimant posteroque die redintegrent, quia deus eum omni virtute exornaverit, i. e. ita ut eo die armis inter se decertare nequeant. Multo rectiorem in modum *ν* 4 structura hypotactica occurrit: cfr. praeterea *ν* 228, *ο* 260, 390, *ρ* 174, *τ* 141. *υ* 227 vero Ameis sine iure apodosim desiderat: sequitur enim versu 229 apodosis a *τοὔνεκα* incipiens, qua elegantior cogitari non potest: *βουκόλ', ἐπεὶ οὔτε κακῷ οὔτ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας, γιγνώσκω δὲ καὶ αὐτός, ὅ τοι πινυτὴ φρένας ἵκει, τοὔνεκά τοι ἐρέω καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.* Non recte enim Ameis in eo offendit, quod enuntiatio ab *ἐπεί* incipiens in duo membra est divisa, quorum alteri alterum particula *δέ* est adiunctum. Idem in *Ο* 321 cadit, nisi quod hic hypotaxim in priore quodam statu retineri videmus: apodosis enim incipit a *τοῖσι δὲ* (v. 321). His igitur, quos modo attuli, locis ex sententiarum conexu et verborum forma de perfecta structura hypotactica dubitari non potest.

Tractavimus adhuc sedecim illos locos, ubi partim propter verborum formam partim propter sententiarum cohaerentiam structura si minus paratactica, at certe interrupta esse videtur. Hic simul diversarum significationum exempla exstiterunt: *γ* 103, *ζ* 187 significationis adverbialis, *Ν* 68 temporalis in causalem abeuntis, ceteris locis et temporalis et causalis. Reliquis locis omnibus particula *ἐπεί* verae coniunctionis vice fungitur: neque enim vera apodosis desideratur aut enuntiatis interpositis disiungitur ab enuntiatione ea, in qua *ἐπεί* est; transitus vero structurarum et significationum optime perspici potest. — Iam iis demum locis, ubi enuntiatio dependens prrincipalem sequitur, hypotaxim perfectam esse, vidimus. Simul animadvertimus paullatim illum progressum fieri: ac tanta erat vis antiquissimae illius structurae paratacticae, ut quamquam particula *ἐπεί* in relativam illam abiit significationem — temporalem dico posteaque causalem —, tamen sententiae particulis paratacticis *καί*,

ἄρα, δέ coniungerentur. Huius linguae status apud Homerum satis multa vestigia animadvertuntur. Huc pertinent ii loci, ubi ex sententiarum cohaerentia vera apodosis reperitur, sed vetere more paratactico particulae illae additae sunt.

Ac primum quidem, adverbio *ἐπεί* in coniunctionis relativae vim inverso, temporali successione duas enuntiationes ita inter se coniunctas esse exprimitur, ut enuntiatio temporalis, quae praecedit eam actionem afferat, post quam insequentis enuntiati actio fit. Sequitur, ut, coniunctione *ἐπεί* hac significatione mere temporali praedita, enuntiatio principalis temporalem saepissime sequatur. Postea, quo tempore hypotaxis aliquantum praevalere coepit, enuntiationum ordo inversus est. In carminibus Homericis, si addimus *Ρ* 658, *Ω* 42, locos trecentos septuaginta tres (373) invenimus, ubi *ἐπεί* sensu mere temporali utitur. Inter quos enuntiatio temporalis principalem praecedit ducenties quinquagies ter (253), sequitur centies decies quater (114), sex (6) locis inter enuntiationis principalis subiectum et verbum finitum est interposita: *Ι* 195, *Ζ* 504, *Ρ* 657, *Ω* 42, *κ* 411, 414. Inter 253 illos locos, ubi enuntiatio principalis temporalem sequitur, a particulis paratacticis enuntiationes principales incipiunt octoginta sex (86) locis:

1. a *καί*, sive sola particula sive cum aliis consociata usurpatur, apodosis incipit locis decem (10):

a) *καί*: *ξ* 111.

ξ 111 *αὐτὰρ ἐπεὶ δείπνησε καὶ ἤραρε θυμὸν ἐδωδῇ,*
καί οἱ πλησάμενος δῶκε σκύφος, ᾧ περ ἔπινεν,

ubi subiecto mutato a versu 112 apodosim incipere satis docemur.

Saepius in enuntiatione principali coniunctae inveniuntur particulae *καί* et *τότε*, quibus nonnunquam *δή* vel *ἔπειτα* adiunguntur.

b) *καὶ τότε*: *ι* 250, *ζ* 297, *κ* 346, *τ* 251.

ι 250 *αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ σπεῖσε πονησάμενος τὰ ἃ ἔργα,*
καὶ τότε πῦρ ἀνέκαιε καὶ εἴσιδεν, εἴρετο δ' ἡμέας.

ζ 297 *αὐτὰρ ἐπὴν ἡμέας ἔλπῃ ποτὶ δώμαθ' ἀφῖχθαι,*
καὶ τότε Φαιήκων ἴμεν ἐς πόλιν ἠδ' ἐρέεσθαι.

c) *καί τότε δή*: *Σ* 349, *γ* 130, *ι* 362, *κ* 499.

Σ 349 *αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ,*
καὶ τότε δὴ λόεσαν καὶ ἤλειψαν λίπ᾽ ἐλαίῳ.

d) *καὶ τότ᾽ ἔπειτα*: *δ* 414.

δ 414 *τὸν μὲν ἐπὴν δὴ πρῶτα κατευνηθέντα ἴδησθε,*
καὶ τότ᾽ ἔπειθ᾽ ὑμῖν μελέτω κάρτος τε βίητε.

2. Particula *δὲ* apodosim incipit vicies septies (27):

Α 57 *οἱ δ᾽ ἐπεὶ οὖν ἤγερθεν ὁμηγερέες τε γένοντο,*
τοῖσι δ᾽ ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Hic Nauck contra omnium librorum auctoritatem in adnotatione proposuit *τοῖσιν* pro *τοῖσι δ᾽*. Idem *Η* 148 *αὐτὰρ ἐπεὶ Λυκόοργος ἐνὶ μεγάροσιν ἐγήρα, δῶκε δ᾽ Ἐρευθαλίωνι φίλῳ θεράποντι φορῆναι,* quatuor codicum D G H S lectione minime certa usus contra reliquos libros et Aristarchi auctoritatem *δῶκεν Ἐρευθαλίωνι* in textu ponere ausus est. *Λ* 267 *αὐτὰρ ἐπεὶ τὸ μὲν ἕλκος ἐτέρσετο, παύσατο δ᾽ αἷμα, ὀξεῖαι δ᾽ ὀδύναι δῦνον μένος Ἀτρείδαο* Nauck lectionem traditam delere non potuit. Idem valet in locos *Μ* 143, *Ο* 320, *Π* 198, *Τ* 54, *Υ* 47, *Ω* 14, *γ* 473, *η* 184, *ϑ* 24, *ι* 310, 343, *κ* 112, 364, *λ* 385, *ξ* 175, 404, *ο* 303, 438, 501, *ρ* 99, *ω* 205, 421. Duobus locis *η* 340 et *φ* 273 Nauck audacter lectionem mutavit. *η* 340 *αὐτὰρ ἐπεὶ στόρεσαν πυκινὸν λέχος ἐγκονέουσαι, ὤτρυνον δ᾽ Ὀδυσῆα παριστάμεναι ἐπέεσσιν*: plerique libri *δὲ* praebent, alii *τ᾽*, vel *ρ᾽*; Nauck *ὤτρυνον Ὀδυσῆα* posuit et syllabam *-ον* ictu arsis productam esse vult. Nec minus *φ* 273 *οἱ δ᾽ ἐπεὶ οὖν σπεῖσάν τε πίον ϑ᾽ ὅσον ἤθελε θυμὸς, τοῖς δὲ δολοφρονέων μετέφη πολύμητις Ὀδυσσεύς* contra plurimorum librorum auctoritatem Nauck *τοῖοι* pro *τοῖς δὲ* posuit, lectione duorum codicum AL usus, quamquam *τοῖς δὲ* permultis exemplis confirmatur.

3. *Δέ* cum *ἄρα* consociatum invenitur locis tribus (3):

δ 49 *τοὺς δ᾽ ἐπεὶ οὖν δμῳαὶ λόεσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ,*
ἀμφὶ δ᾽ ἄρα χλαίνας οὔλας βάλον ἠδὲ χιτῶνας.

ρ 88 *τοὺς δ᾽ ἐπεὶ οὖν δμῳαὶ λόεσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ,*
ἀμφὶ δ᾽ ἄρα χλαίνας οὔλας βάλον ἠδὲ χιτῶνας.

ζ 99 *αὐτὰρ ἐπεὶ σίτου τάρφθεν δμῳαί τε καὶ αὐτὴ,*
σφαίρῃ ταὶ δ᾽ ἂρ ἔπαιζον, ἀπὸ κρήδεμνα βάλουσαι.

Hic vulgata *ταί τ᾽ ἄρ* praebet: sed *ταὶ δ᾽ ἄρ*, quod praestantissimus omnium codex Venetus Marcianus (M) No. 613 prima manu praebet, praeterea Didymi auctoritate stabilitur, qui ad hunc locum adnotat *πᾶσαι διὰ τοῦ δ᾽*, i. e. tota recensio Aristarchea *δέ* praebet. Accedit, quod *δὲ* tot exemplis satis confirmatur. Nauck *γέ* proponit.

4. Sequuntur loci tres (3), ubi particula *ἄρα* aliis adverbiis temporalibus succedens apodosim incipit:

αὐτίκ᾽ ἄρα: *ε* 76 *αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ πάντα ἑῷ θηήσατο θυμῷ,*
αὐτίκ᾽ ἄρ᾽ εἰς εὐρὺ σπέος ἤλυθεν κτλ.

αὖτις ἄρα: *τ* 505 *αὐτὰρ ἐπεὶ νίψεν τε καὶ ἤλειψιν λίπ᾽ ἐλαίῳ,*
αὖτις ἄρ᾽ ἀσσοτέρω πυρὸς ἕλκετο δίφρον Ὀδυσσεύς.

αἶψ᾽ ἄρα: *γ* 455 *τῆς δ᾽ ἐπεὶ ἐκ μέλαν αἷμα ῥύη, λίπε δ᾽ ὀστέα θυμός,*
αἶψ᾽ ἄρα μιν διέχευαν, ἄφαρ δ᾽ ἐκ μηρία τάμνον.

5. Adde quod *ἄρα* sine alia particula reperitur in apodosi quadragies ter (43), tribus illis formis adhibitis *ἄρ, ἄρα, ῥά*.

Ita *Α* 464 *αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ᾽ ἐκάη καὶ σπλάγχν᾽ ἐπάσαντο,*
μίστυλλον τ᾽ ῎ρα τἆλλα καὶ ἀμφ᾽ ὀβέλοισιν ἔπειραν.

Β 427, 432, *Δ* 217, *Ε* 573, *Ζ* 178, *Κ* 272, 296, 574, *Μ* 105, *Ξ* 187, 383, *Ο* 395, *Σ* 609, *Υ* 318, *Ψ* 2, 127, *Ω* 329, 349, *β* 9, *γ* 67, 461, 466, *δ* 47, *ε* 201, *ϑ* 72, 131, 143, 276, 454, *κ* 360, *λ* 1, 246, *μ* 364, *π* 340, *ρ* 28, *σ* 427, *φ* 57, 222, 405 (*ἄρα* v. 409), *χ* 260, *ω* 489, 500.

Accedunt alia exempla, quibus structurae paratacticae vestigia cernuntur: quae, si cum praecedentibus comparamus, levioris momenti esse videntur. Relatio enim temporalis relativae coniunctionis *ἐπεί* per se ipsa non confestim tam certa est, ut plane, ubi primum audientium aures tetigit, cognosci possit. Quam ob rem adverbia temporalia demonstrativa hanc relationem fulciunt. Ita confirmatur et augetur in enuntiatione principali nova illa particulae *ἐπεί* vis relativa hisce particulis:

αἶψα *μ* 197, *ν* 70.
αὐτίκα *Τ* 19, *Ψ* 161, *Ω* 513, *γ* 447, *ϑ* 446, *ν* 271, *ο* 92.
αὐτίκ᾽ ἔπειτα *β* 378, *κ* 237, *μ* 260.
αὖτις *σ* 59.
ἄψ *Ζ* 425, *Ο* 363, 549, *Π* 394, *Ν* 175.

δή *Θ* 343, *O* 1, *Υ* 337, *ω* 71.
δὴ ἔπειτα *α* 293, *ϑ* 377, *μ* 308.
δή τότε *M* 13, *γ* 342, *δ* 68, 428, 541, 573, *ϑ* 485, *ι* 87, *ϰ* 58, *ο* 143, *π* 55.
ἔνϑα *ϰ* 87, 525, *μ* 55.
ἔνϑ' αὖτε *Δ* 382.
ἐξαῦτις *δ* 233, *τ* 213, *φ* 205, *ω* 349.
ἔπειτα *Π* 207, *Φ* 383, *Ω* 719, *β* 407, *λ* 119, *ν* 316, *ο* 366, *φ* 159, *ψ* 88.
τότε *Λ* 191, 205.

Sed his locis quinquaginta quinque (55) hypotaxis iam ad maiorem pervenit perfectionem, quam illis octoginta sex (86), ubi particulae illae copulativae apodosim incipiunt. Attamen locis his 141 parataxis aut plane discerni aut generaliter adumbrari potest. Locis 112, qui restant inter 253 illos, ubi apodosis enuntiationem temporalem sequitur, structura mere hypotactica est neque ullo colore paratactico obscurata. Id in omnes profecto, qui praeterea restant, cadit locos 120 inter 373 illos, ubi *ἐπεί* sensu mere temporali usurpatur, ita ut locis 232 hypotaxis perfecta esse dici debeat.

Ac ne hoc loco praetermittamus quod haud parvi momenti est, coniunctio ipsa enuntiationis temporalis (*ἐπεί* mere temporale) cum particulis quibusdam coniungi aut post aliud vocabulum poni solet. Paene omnibus locis, ubi apodosis sequitur, id usu venit. Namque aut subiectum enuntiationis temporalis ipsum eam praecedit quod nonnunquam particulis copulativis, ut *δέ*, ad praecedentia est adiunctum (*Λ* 57 *οἱ δ' ἐπεὶ*); aut obiectum aut aliud eiusdem enuntiationis vocabulum, quod maiore gravitate praeditum plerumque praecedentibus arte se applicat (*Z* 425 *τὴν ἐπεὶ*); aut particulae *ἀλλά* et *ἔνϑα*; aut, quae longe plurimis locis, invenitur (189), particula *αὐτάρ*, quae ex *αὖτε* et *ἄρα* composita vim quandam copulativam habet. Simul sequuntur coniunctionem *ἐπεί* eae particulae, quarum supra mentio facta est, *ἄρα*, *δή*; praeterea *οὖν*, quae particula in apodosi rarissime ponitur. Id etiam in eos locos cadit, ubi enuntiatio principalis praecedit (*υ* 86):] contra eas cum *ἐπεί* coniungi non necesse est, ubi apodosis sequitur, praesertim si *αὐτάρ* ante *ἐπεί*

ponitur. Unde intellegimus, his particulis, ubi in enuntiatione dependente adhibentur non tantam vim esse attribuendam, ut de structurae specie inde concludere quidquam possimus. Id potissimum valet de particula copulativa *τε*, quae *Λ* 87 = *Λ* 562 *ἐπεὶ τ' ἐκορέσσατο φορβῆς* et *M* 393 *αὐτίκ' ἐπεί τ' ἐνόησεν* invenitur: sed solo loco *M* 393 lectio pro certa habenda est, ubi particula *τε* antiquiorem illum sensum generalem prae se fert.[1]) Id certe notandum est, *ἐπεί* coniunctionem mere temporalem nondum tantam vim obtinuisse, ut sua sola auctoritate stabilita totam enuntiationem incipiat.

Iam vero postquam enuntiationum temporalium structura hypotactica ad perfectionem quandam pervenit, causalis significatio relativa eidem coniunctioni *ἐπεί* adiuncta est. Cuius transitus gradus faciles sunt cognitu. Locis viginti septem (27) enim significatio temporalis causali nondum cedit, quamquam causalis iam subest. *E* 510 Mars Phoebi mandata perficit, qui eum Dardanorum alacritatem augere iusserat, *ἐπεὶ ἴδε Παλλαδ' Ἀϑήνην οἰχομένην* „postquam Minervam abeuntem vidit“ sed subrepit iam significatio „quia viderat“. Item *K* 210, 411, *Ξ* 403, *O* 591, *Π* 507, 660, *Ψ* 468, *Ω* 547, 594, 613, *β* 96, *γ* 70, 368, *δ* 511 (qui pro spurio habetur), 647, *ε* 131, *ο* 253, *π* 24, *ϱ* 42, *τ* 141, *υ* 391, *ψ* 92, 354, *ω* 131, 388, 440. Ex his locis viginti septem apodosis sine particulis sequitur quinquies: apparet, hypotaxim excultiorem esse, ubi significatio ad causalem progreditur. Ab hoc genere prope abesse videntur, qui sequuntur loci septem et triginta (37), ubi causalis temporali significationi par est. *A* 299 *μαχέσσομαι . . . οὔτε σοὶ οὔτέ τῳ ἄλλῳ, ἐπεί μ' ἀφέλεσϑέ γε δόντες*, *Δ* 476, *E* 27, *H* 208, *Θ* 397 *Ζεὺς δὲ πατὴρ Ἴδηϑεν ἐπεὶ ἴδε, χώσατ' ἄρ αἰνῶς*, *I* 59, 304, 356, *K* 448, *Λ* 100, *N* 68, 505, *Ξ* 359, *O* 432, *Π* 425, *Σ* 225, 235, 333 *νῦν δ' ἐπεὶ οὖν Πάτροκλέ σευ ὕστερος εἶμ' ὑπὸ γαῖαν, οὔ σε πρίν κτεριῶ κτλ.* *X* 104, *Ψ* 150, *Ω* 684, *α* 396, *δ* 204, *ζ* 191, *ν* 4, 259, *ξ* 386, *ο* 346, 375, *ϱ* 226, 284, *σ* 362, *φ* 73, 83, 106, 53, *ω* 482. Hic quindecies apodosis sequitur. Sequuntur loci 111, ubi significatio causalis temporali praestat,

---

1) Nägelsbach, Anmerkungen zur Ilias, Anhang 1.

quae tamen nondum evanuit: ita *Z* 77 *Αἰνεία τε καὶ Ἕκτορ, ἐπεὶ πόνος ὔμμι μάλιστα ἐγκέκλιται . . ., στῆτ' αὐτοῦ*; item *A* 352, *κ* 91, *P* 647, *α* 177, *ξ* 69 reliquis locis. Hoc in genere apodosis sequitur decies septies (17), praecedit nonagies quater (94), *X* 379 incipit a *δέ*, *T* 137 = *I* 119 ab *ἄψ*, *Z* 349 ab *ἔπειτα*, *Γ* 99 ab *ἤδη*. Ita ne hic quidem parataxis plane evanuit. Id minus valet de 225 qui restant locis, ubi significatione temporali extincta *ἐπεί* sensu mere causali usurpatur. Hic apodosis sequitur decies quinquies (15): coniunctio causalis *ἐπεί* adverbio non nititur nisi *Z* 333, ubi *τοὔνεκα* subsequitur. Ceterum hypotaxis perfecta est.

Ita particula *ἐπεί*, quae locis 775 apud Homerum invenitur, quo in numero significatio mere temporalis maiorem partem obtinet, locis duobus significationem adverbialem habere videtur, ubi structuram paratacticam exhibet: praeterea locis 153 parataxis cognoscuntur vestigia.

Denique ut accurate perspiceretur modorum ac temporum usus tabulam composuimus, qua in uno velut conspectu appareret, qui modi et quae tempora quoties abhibita essent; quoties enuntiatio temporalis praecederet, sequeretur, enuntiationi principali interposita esset; quoties tota structura legeretur in oratione, in narratione, in narratione orationi implicata. Qua in re transitus temporalis in causalem significationem luculenter apparet. Intellegimus *ἐπεί*, si sensu mere temporali utitur, plerumque cum temporibus praeteritis ita coniungi, ut indicativus praevaleat. Praesens tempus et futurum cum *ἐπεί* mere temporali fere nusquam coniunguntur. Ita *ἐπεί* coniunctio temporalis eo spectat, ut actionem definiat, quae iam praeteriit, quo tempore altera quaedam incipit. Contra, ubi *ἐπεί* in causalem abiit significationem, tempora, quae principalia dicuntur, praevalent.

Tempora et Modi in particulae *ἐπεί* structuris Homericis adhibiti.

Tempora et Modi. 1)	In enuntiatione in qua *ἐπεί* est.					In enuntiatione principali				
	M. T.	**T.** C.	T. C.	T. **C.**	M. C.	M. T.	**T.** C.	T. C.	T. **C.**	M. C.
1. Aoristi Indicativus	273	23	26	78	21	173	14	5	17	37
2. — Coniunctivus	72	.	1	.	.	2	.	1	3	1
3. — Optativus	7	.	.	.	2	2	1	2	7	8
4. — Imperativus	.	.	.	.	.	4	1	1	8	9
5. Imperfectum	8	2	2	17	44	101	2	4	23	25
6. Praesentis Indicativus	.	.	5	5	117	29	1	10	32	59
7. — Coniunct.	6	.	.	.	.	4	.	1	2	2
8. — Optativus	1	.	.	.	1	3	.	.	.	8
9. — Imperat.	.	.	.	.	.	5	3	6	7	38
10, Futuri Indicativus	1	.	1	1	17	30	2	7	6	28
11. Perfecti Indicativus	1	.	2	8	17	4	1	.	3	6
12. — Optativus	1	.	.	.	.	.	.	.	1	.
13. Plusquamperfectum	3	2	.	2	6	2	1	.	2	2
14. Infinitivus pro Imp.	.	.	.	.	.	14	1	.	.	2
773	373	27	37	111	225	373	27	37	111	225

	M. T.	**T.** C.	T. C.	T. **C.**	M. C.
In Narratione	255	13	11	19	31
In Oratione	103	13	25	84	184
In Narratione orationi implicata	15	1	1	8	10
773	373	27	37	111	225
Apodosis sequitur	253	5	15	17	15
— praecedit	114	21	22	94	210
Enuntiatio, in qua *ἐπεί* interposita est	6	1	.	.	.
773	373	27	37	111	225

773.
Accedunt loci *γ* 103 et *ζ* 187 ubi *ἐπεί* sensu adverbiali uti videtur:
775.

1) M. T. = Significatio mere temporalis. **T.** C. = S. temporalis. cui causalis iam subest. T. C. = Aequo iure utuntur s. et temporalis et causalis. T. **C.** = S. causalis, unde temporalis nondum evanuit. M. C. = S. mere causalis.

II. *Ἐξ οὗ.*

Compositio illa verborum *ἐξ οὗ*, quae in verae coniunctionis partem venit, ad *ἐπεί* proxime se applicat. Sunt enim exempla, ubi *ἐπεί* non vulgarem, quam descripsimus, vim, sed accuratius definitam illam prae se fert, quam coniunctionis *ἐξ οὗ* esse constat: *Α*235, *Μ*420, *Ρ*427, *γ*183, *δ*13, *ϑ*452. His sex locis, ubi *ἐπεί* significat „ex quo“, particula *δή* apposita invenitur, cui excepto uno loco *ϑ*452 *πρῶτα* (*Α*235, *Ρ*427, *γ*183), *τὰ πρῶτα* (*Μ*420), *τὸ πρῶτον* (*δ*13) succedunt. Uno loco *Μ*420 *δή* omittitur. Similis quaedam significationis, particularum illarum, temporum, modorum ratio apud *ἐξ οὗ* invenitur. Significat vero coniunctio *ἐξ οὗ*: „ex quo temporis puncto“ et usurpata est apud Homerum locis septendecim (17). Hic in enuntiatione ea, in qua *ἐξ οὗ* est, aoristi indicativus decies[1] (10), imperfectum verbi *οἴχομαι*, quod eodem modo usu venit ac si aoristum *ἤλυϑον* posuerit poeta, quater (4)[2], imperfectum verbi *ἕπεσϑαι*, quod saepissime aoristi vice fungi constat semel *λ*168 (1), praesentis indicativus bis (*β*90, *ϑ*539) (2) ponuntur. In enuntiatione principali autem, cui enuntiatio temporalis ter antecedit[3], semel (*π*142) interposita est, terdecies succedit, praesentis indicativus octies[4], aoristi quinquies[5], perfecti ter[6], imperfectum pro perfecto positum semel (*Α*6) inveniuntur.

Ἐξ οὗ plerumque enuntiationem incipit exceptis duobus locis *Θ*295, ubi *ἀλλά* praecedit et *π*142, ubi *αὐτὰρ νῦν* praecedunt. *Α*6 *δὴ τὰ πρῶτα*, *λ*168 *τὰ πρώτιστα*, *ξ*379 *δή* ad *ἐξ οὗ* additae sunt particulae. Tribus illis locis, ubi enuntiatio principalis sequitur, coniunctionis *ἐξ οὗ* vis relativa confirmatur adverbiis demonstrativis *ἐκ τοῦ*, *ἐκ τοῦδε*, *ἐκ τοῦ δή*. Ex septendecim vero illis locis tres, ut vidimus,

1) *Α*6, *Θ*295, *Ν*778, *Ω*638, 766, *β*27, *ξ*379, *σ*181, *τ*223, *ω*310.
2) *π*142, *ρ*103, *τ*596, *ψ*18.
3) *Θ*295, *Ν*778, *ϑ*539.
4) *Θ*295, *Ν*778, *Ω*766, *β*90, *π*142, *ξ*379, *τ*223, *ω*310.
5) *Ω*638, *β*27, *ϑ*539, *σ*181, *ψ*18.
6) *λ*168, *ρ*103, *τ*596.

eam sententiarum collocationem praebent, quam perfectae hypotaxi priorem esse docuimus. Haec parataxis vestigia haud ita pauca quidem pro toto numero, tamen levioris momenti sunt et ad parataxim cognoscendam minus pertinent: transitus enim in hypotaxim iam perfectus est.

III. *Εἰςόκε.*

Contrarium temporis punctum significat *εἰςόκε* qua cum coniunctione *εἰςότεκε* simul est tractanda: particula *τε* enim, quae sensum generalem illum hic quoque prae se fert, cum *ὅ* ita in unum coaluit, ut *ὅτε* hic idem esse videatur atque *ὅ*. Atque e particula illa *κε*, quae actionis effectum conditionibus quibusdam loquenti minus notis subiungit, cognoscitur, *εἰςόκε* de rebus expectatis, i. e. futuris dici. Itaque *εἰςόκε* apud Homerum plerumque cum coniunctivo coniungitur neque usquam in narratione invenitur. Praevalet autem in locis qui huc pertinent omnibus quinquaginta, aoristi coniunctivus, qui locis quadraginta tribus usurpatus[1]) futuri exacti munus sustinet. *ϑ*318 octo codices indicativum futuri *ἀποδώσει* praebent, cui G. Hermann (opuscula II p. 24) favet. Sed in septem codicibus IMEQLSC partim coniunctivus partim optativus legitur neque ullo alio modo *εἰςόκεν* cum futuri indicativo coniungitur. Praebuerunt etiam editores inde a Bekkero aoristi coniunctivum *ἀποδῷσι*, quae optima lectio videtur esse. Librariis coniunctivi formam illam *ἀποδῷσι* non iam cognitam fuisse verisimile videtur. Omnino aliter *Ο*70 res se habet, ubi duo codices C et Lipsiensis coniunctivum aoristi *ἕλωσι* praebent, ceteri codices uno consensu optativum *ἕλοιεν* exhibent, qui analogia praecedentis optativi potentialis munitur. Nauck nimirum coniunctivum praetulit. Quamquam hic versus cum v. 71 expungebatur propter neutrum *Ἴλιον*, quod nomen forma feminina (*ἡ Ἴλιος*) uti solet. — Sex qui restant locis *εἰςόκε* cum praesentis con-

1) *Β*331, *Γ*409, *Η*30, 71, 291, 376, 377, 395, 396, *Ι*48, *Κ*62, *Λ*193, 208, *Μ*150, *Ξ*6, 77, *Π*455, *Ρ*455, *Φ*128, 133, 231, 531, *β*97, *β*99, *ε*378, *ζ*295, *ϑ*318, *ι*138, *κ*461, *λ*122, 351, *ν*59, *ο*26, 543, *ρ*56, *τ*142, 143, *χ*58, 443, *ψ*269, 358, *ω*132, 134.

iunctivo coniungitur, ita ut sensum futurum habeat.[1]) Porro in enuntiatione principali, quae necessario praecedit, indicativus futuri decies quinquies, imperativus praesentis undecies, aoristi bis, indicativus praesentis ter, infinitivus pro imperativo positus quater, infinitivus finalis pendens a verbo finito septies, coniunctivus praesentis adhortativus *Ξ*77, dubitativus *K*62, coniunctivus aoristi adhortativus *Ψ*244, optativus aoristi, qui optatum exprimit *ο*26, optativus praesentis potentialis cum *ἄν* *O*70, adhibiti sunt. Tribus illis locis *β*99, *τ*143, *ω*134, ubi in Penelopes oratione ea, qua procos fallit — quae *τ*143 ab ipsa, *ω*134 ab Amphimedontis anima refertur — *εἰςότεκε* ad indefinitum temporis futuri punctum describendum adhibetur, verbum finitum desideratur, ad quod enuntiatio temporalis sit adiuncta, sed animo intellegendum est. Nam versus *β*99 pars prior *Λαέρτῃ ἥρωι ταφήιον*, quae appositionem affert ad *φᾶρος* (v. 97), ita explicanda est: *ὅ Λαέρτῃ ταφήιον ἔσσεται, εἰςότε κεν κτλ:* „für die Zeit, wann“, ita ut hos locos in universo eo genere collocemus, ubi indicativus futuri praecedit. Simul intellegimus, particula *τε* ad *ὅ* accedente significationem certam illam *εἰςόκε*-„bis“ attenuari et in generalem significationem abire. Iam neutrum pronominis relativi punctum temporis hic significat in quod actio quaedam incidit, cuius initio finis actionis, quae praecedit, efficitur. Eadem ratio in *ἕως* et *ὄφρα* statui potest. Unde fit, ut veteres commentatores saepe in adnotationibus *ἕως ἄν* pro *εἰςόκε* ponant. Sed praeterea alius cuiusdam rationis vestigia apparent: duobus enim locis *I*608 et *K*89 neutrum *ὅ* non punctum, sed spatium temporis designat: *I*608 *φρονέω δὲ τετιμῆσθαι Διὸς αἴσῃ, ἥ μ' ἕξει παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, εἰςόκ' ἀΰτμη ἐν στήθεσσι μένῃ καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ*, quos versus Nauck, quia significationem illam „quamdiu“ in *εἰςόκε* agnoscendam esse negat, pro spuriis habet. Infra vero videbimus, contra A. Keilii[2]) sententiam hanc significationem „quamdiu“ antiquiorem esse, quia altera inde derivatur.

1) *E*466, *I*609, *K*89, *Λ*665, *Ψ*244, *X*72.

2) Albertus Keil, de particularum finalium vi principali et usu Homerico Halis 1880, p. 8.

Parataxis denique non magis comparent vestigia, quam in *ἐξ οὗ:* et hic et illic coniunctionum singulae partes in unum tum demum coaluisse videntur, cum *ὅς* iam prorsus in vim relativam abierat. Quod confirmatur hac ratiocinatione: inter *ἐξ οὗ* et *εἰςόκε* si harum coniunctionum varios usus respicimus, medium locum obtinet *ἐν ᾧ*, quod post Homerum demum in litteras receptum esse videtur, cum apud Homerum *εὖτε* et *ὅτε* eius loco adhibeantur. Ita verisimile est, vim coniunctionum *ἐξ οὗ* et *εἰςόκε* in coniunctionibus *ἐπεί, ἕως, ὄφρα* fuisse, priusquam pronominis relativi neutrum de tempore dictum et cum praepositionibus illis coniunctum est, ut accuratius describeretur temporum ratio. Ita fit, ut coniunctiones illae plane temporibus, ut ita dicam, hypotacticis sint tribuendae.

IV. V. *Ἕως* et *Ὄφρα*.

Constat, particulas *ἕως* et *ὄφρα* de tempore dictas valde inter se similes esse. Sed *ὄφρα* maiore ex parte significationem finalem prae se fert, quae in *ἕως* quatuor tantum locis elucet *δ*800, *ε*386, *ζ*80, *τ*367. *ε*386 enim contra A. Keilii sententiam[1]) cum scholiastis c. c. BHMPQ (*τινὲς δὲ γράφουσιν· ὄππως Φαιήκεσσιν*) sensum mere finalem in coniunctione *ἕως* esse arbitror. — Supra iam intelleximus, temporalem significationem finale antiquiorem esse. Sequitur, ut *ὄφρα*, quae coniunctio temporali significatione utitur centies octies (108), finali plus ducenties sexagies, in significationem posteriorem multo magis transierit, quam *ἕως*, quae coniunctio sensu temporali locis quadraginta quinque (45), finali locis quatuor (4) utitur. Huc optime quadrat, quod *ὄφρα* post Homerum non invenitur nisi raro apud Pindarum poetasque quosdam Ionicos et Doricos, classicis, quae dicuntur, litterarum Graecarum temporibus prorsus evanescit. Quod autem *ἕως* posterioribus temporibus non eodem modo atque *ὄφρα* in finalem transiit significationem, id inde explicari potest, quod lingua, quam certis legibus non astringi constat, ad significationem finalem exprimendam particulas illas *ἵνα*,

1) dissertationis allatae p. 35.

ὅπως, ὡς, quae iam apud Homerum sensu finali utuntur, praetulit particulae *ἕως,* cuius significationis finalis apud Homerum quatuor tantum exempla extant. Ita factum est, ut *ἕως* etiam posterioribus temporibus sola significatione temporali usurparetur. Iam ipsa significatio temporalis in duas partes dividitur: significat enim temporis aut spatium aut punctum: punctum temporis, quod actioni enuntiationis principalis finem imponit, spatium temporis, cuius initium affert terminum post quem, cuius finis affert terminum ante quem actio enuntiationis principalis fit. Hic cum quaestio se offerat, utra significatio sit antiquior, A. Keil (p. 8), ut dicit, contra plerorumque sententiam contendit, eam esse antiquiorem, qua *ὄφρα* et *ἕως* punctum temporis significent. Cui sententiae facere non possum quin obloquar. Contendit enim Keil: *ὄφρα* (*ἕως*) „quamdiu" nihil aliud significare nisi spatium quoddam temporis, quod tamdiu duret, quam enuntiationis primariae actio fiat, eamque ob rem spectare ad finem actionis, non ad initium. Ita *δ* 90 *εἷος ἐγὼ περὶ κεῖνα πολὺν βίοτον ξυναγείρων ἠλώμην, τεῖός μοι ἀδελφεὸν ἄλλος ἔπεφνεν,* si hanc Keilii definitionem sequeremur, *ἕως* nihil aliud significaret, nisi temporis spatium, quod tamdiu durat, quam Aegisthus Agamemnonem occidit: id per se falsum esse apparet. Nam Menelao multo plus temporis opus fuisse ad errores tolerandos, quam Aegistho ad Agamemnonem interficiendum omnibus facile comprobatur. Immo contrarium quoddam accidit: Agamemnonis letum inter initium et finem eius temporis spatii incidit, quo Menelaus errabat. Accedunt loci *Δ* 220, *Π* 193, *Μ* 195, *μ* 327, alii, in quos definitio illa non magis quadrat. Ceterum ad sententiam suam confirmandam A. Keil exempla Homerica non affert. Sed quae illo loco exposuit, ea non ex singulorum locorum accurata cognitione, sed, ut ipse dicit, ex ratiocinatione quadam fluxerunt. Dicendum vero potius fuit: si *ὄφρα* (*ἕως*) „quamdiu" enuntiationi cuidam temporis definiendi causa se adiungit, actio illius enuntiationis, quae principalis dicitur, in id temporis spatium incidit, per quod actio enuntiationis ab *ὄφρα* (*ἕως*) incipientis fit vel durat.

Tum Keil concludit, cum *ὄφρα* (*ἕως*) „quamdiu" spatium

temporis significet, quod tamdiu duret, quam enuntiationis primartae actio fiat, eam ob causam *ὄφρα* (*ἕως*) non spectare nisi ad finem actionis non ad initium. Hic actionis secundariae finis intellegitur: nam quoniam *ὄφρα* (*ἕως*) „bis" actionis primariae non spectare nisi ad finem constat, dubium non est, quin A. Keil, cum *ὄφρα* „bis" et ad initium et ad finem actionis referri posse dicit, actionem secundariam intellegat, praesertim cum duos locos *ζ* 218 et *τ* 16 afferat, unde actionis secundariae finem intellegi apparet. Sed *Ο* 539 *εἷος ὃ τῷ πολέμιζε μένων, ἔτι δ' ἔλπετο νίκην, τόφρα δέ οἱ Μενέλαος ἀρήιος ἦλθεν ἀμύντωρ* tempus actionis principalis non fine actionis secundariae definitur. Poeta enim non dicit, Megetem dimicare destitisse, ubi primum Menelaus ei auxilio venerit, sid „dum dimicabat (i. e. postquam dimicare coepit et antequam dimicare destitit), eo temporis spatio Menelaus ei auxilio venit." Omnino A. Keil particulis correlativis *ὄφρα* — *τόφρα* (quamdiu — tamdiu) multo accuratius tempus definiri arbitratur. Immo *ὄφρα* et *ἕως* „quamdiu" ad actionem principalem nihil afferunt nisi temporis spatium quoddam, cuius inter terminos actio principalis cadit.

Iam quia hic temporum ac modorum accuratius ratio habenda est, confestim illorum fiat conspectus. Omissi autem sunt in tabula insequenti loci ii, ubi coniunctiones *ὄφρα* et *ἕως* absolute dictae sunt. Praeterea locum *ο* 81 neque his locis attribui neque in tabulam recepi, quia hoc loco res valde in dubio est. Ex hac tabula intellegitur, si *ὄφρα* et *ἕως* spatium temporis describunt, plerumque imperfectum ad eas coniunctiones positum esse, quod ipsum etiam in enuntiatione principali praevalet. Ratio temporalis igitur, quae intercedit, aleo non accurate definitur, ut ad eam describendam imperfectum sufficiat.

Tempora et Modi in coniunctionum *ἕως* et *ὄφρα* structuris Homericis adhibiti.

Tempora et Modi.	Spatium				Punctum.			
	Ἕως		*Ὄφρα*		*Ἕως*		*Ὄφρα*	
[1]	E.T.	E.P.	E.T.	E.P.	E.T.	E.P.	E.T.	E.P.
1. Imperfectum	17	10	23	19	.	7	.	29
2. Praesentis Indicativus	2	1	4	3	.	1	.	7
3. — Coniunctivus	.	.	13	.	.	.	.	.
4. — Optativus	.	.	.	.	1	1	1	.
5. — Imperativus	.	.	.	6	.	1	.	9
6. Aoristi Indicativus	.	7	.	7	9	4	29	2
7. — Coniunctivus	.	.	3	1	5	.	27	1
8. — Optativus	.	.	.	.	2	.	2	.
9. — Imperativus	.	1	.	1	.	.	.	6
10. Futuri Indicativus	.	.	.	6	.	3	.	1
11. Perfecti Indicativus	.	.	1	.	.	.	.	.
12. — Coniunctivus	.	.	2	.	.	.	.	.
13. Plusquamperfect. pro Imperfecto positum	.	.	2	1	.	.	.	1
14. Infinitivus pro Imperativo positus	.	.	.	2	.	.	.	2
15. Infin. pedens a verbo finito	.	.	.	2	.	.	.	1
Summa	19	19	48	48	17	17	59	59

1) F. T. = enuntiatio temporalis; E. P. = e. principalis.

Ut ad *ὄφρα* et *ἕως* „bis“ transeamus, maiore iure A. Keil l. a. eas coniunctiones et ad initium et ad finem actionis (i. e. a. secundariae) referri posse dicit. Hic aoristus praevalet in enuntiatione temporali, imperfectum in enuntiatione principali: tempus igitur hic accurate definitur. Illud autem discrimen, quod intercedit inter finem et initium actionis secundariae ex variis modis cognoscitur. Videmus enim in enuntiatione temporali hic aoristi usurpari et indicativum et coniunctivum. Si aoristi indicativus ponitur in enuntiatione

temporali, imperfectum usurpatur plerumque in enuntiatione principali: ita *Λ* 488, *Υ* 412, *ε* 123, *ε* 429, *η* 280, *ι* 233, *ν* 321; *E* 588, *K* 488, *Λ* 756, *N* 329, 535, 574, *Ξ* 429, *Π* 258, *α* 363, *δ* 289, *ε* 57, *ι* 465, *κ* 363, *λ* 22, 152, *μ* 420, *ξ* 290, 319, *π* 450, *σ* 101, *τ* 603, *υ* 20, *φ* 357, *ψ* 192, 199. Hic actio (status) describitur, quae per longius temporis spatium durat; cuius spatii finis in idem temporis punctum incidit, quo actio secundaria fieri incipit. Hic igitur actionis secundariae respicitur initium. Contra si *ἕως* et *ὄφρα* in illa significatione „bis“ coniunguntur cum aoristi coniunctivo, subsequuntur in enuntiatione principali praesentis futurique indicativus et praesentis aoristique imperativus. Hic tota sententiarum structura expectata quaedam ac futura exprimit eamque ob rem plerumque in oratione legitur, cum illic narratio praevaleat. Hic actio principalis eodem, quo actio secundaria, temporis puncto finitur; ita coniunctiones ad finem actionis secundariae spectant *Ω* 154 = 183 *ὅς ἄξει, εἷός κεν ἄγων Ἀχιλῆι πελάσσῃ*, *Γ* 291 *μαχέσσομαι εἵνεκα ποινῆς αὖθι μένων, εἷός κε τέλος πολέμοιο κιχείω* cfr. *A* 82, 509, 523, *B* 299, *Z* 258, *Θ* 96, *M* 281, *Ξ* 87, *Π* 10, *P* 186, *X* 192, 382, *δ* 588, *ζ* 218, *τ* 17, *χ* 377, alios locos. Quamquam hoc discrimen adeo non est distinctum, ut transitus alterius significationis in alteram cognosci possit. Id praecipue in verborum natura positum est. Sunt enim verba, quae tale discrimen omnino non admittant; verba enim *ἱκνεῖσθαι* et *ἐλθεῖν* in dubio prorsus relinquunt, utrum initii an finis actionis ratio sit habenda: quae tam saepe occurrunt, ut inde de transitu illo concludi possit: *ἱκνεῖσθαι*: *ο* 109 *βάν δ' ἴμεναι προτέρω διά δώματα, εἷος ἵκοντο Τηλέμαχον*, *ψ* 151, *K* 325, *N* 329, 535, *Ξ* 429, *O* 33, 232, *Υ* 24, *Φ* 558, *Ω* 431 *ε* 57, *ζ* 304, *η* 141, *ι* 465, *λ* 22, *ν* 412, *ξ* 290, 319, *ο* 555 *σ* 101; *ἐλθεῖν* *ε* 429 *τῆς ἔχετο στενάχων, εἷος μέγα κῦμα παρῆλθεν*, *η* 280, *ι* 233, *K* 444, *T* 190. Sex illis locis, ubi optativus in enuntiatione temporali usurpatus est,

β 77 *τόφρα γὰρ ἂν κατά ἄστυ ποτιπτυσσοίμεθα μύθῳ*
χρήματ' ἀπαιτίζοτες, ἕως κ' ἀπὸ πάντα δοθείη.

ι 375 *καί τότ' ἐγώ τὸν μόχλον ὑπὸ σποδοῦ ἤλασα πολλῆς*
εἷος θερμαίνοιτο

ψ 150 σχετλίη, οὐδ' ἔτλη πόσιος οὗ κουριδίοιο
εἴρυσθαι μέγα δῶμα διαμπερὲς, εἷος ἵκοιτο

ψ 30 ἀλλὰ σαοφροσύνῃσι νοήματα πατρὸς ἔκευθεν
ὄφρ' ἀνδρῶν τίσαιτο βίην ὑπερηνορεόντων.

μ 437 νωλεμέως δ' ἐχόμην, ὄφρ' ἐξεμέσειεν ὀπίσσω

ρ 297 ἐν πολλῷ κοπρῷ, ἥ οἱ προπάροιθε θυράων
ἡμιόνων τε βοῶν τε ἅλις κέχυτ', ὄφρ' ἂν ἄγοιεν
δμῶες

significationes ita sunt dispositae, ut ψ 151 pro natura verbi ἱκνεῖσθαι significatio in dubio relinquatur, β 78, ψ 31, μ 437, ubi optativus aoristi perfectae cuiusdam actionis momentum affert, de fine, ρ 298 et ι 376, ubi optativus praesentis usurpatur, de initio actionis sit cogitandum. Iam vero in tali significationum („bis“) varietate, simpliciorem eam esse apparet, ubi ὄφρα (ἕως) ad temporis punctum, quo actio principalis finitur, definiendum simplicem actionem ipsam affert: sequitur, ut prius actionis initii rationem haberi necesse sit, quam finis. Itaque priorem quendam progressionis statum eum esse apparet, ubi ὄφρα et ἕως „bis“ initium, posteriorem eum, ubi finem actionis secundariae significent.

Quodsi hanc significationem „bis“ cum ea comparamus, quam supra tractavimus, ubi spatium temporis affertur, dubium esse non potest, utra sit simplicior, ex qua derivari possit altera. Simplicior enim ea est, ubi tempus leviter attingitur, artificiosior ea, ubi temporis puncta accuratius perstringuntur et definiuntur. Artificiosior profecto is status est, in quo temporis relatio in complures dividatur partes necesse est, quam is, ubi simplex tantum temporis ratio habetur. Accuratiorem enim temporis descriptionem cogitatio exercitatior poscit. Praeterea, ut singula ex universis, e simplicibus varia derivantur, ita ex universa spatii temporis descriptione singularis illa puncti temporis derivatur descriptio. Itaque iure dicimus coniunctionum ἕως et ὄφρα significationem „quamdiu“ antiquiorem esse significatione altera „bis“.

Ἕως.

Quod de coniunctionis ἕως orgine sanscritica dicit G. Curtius[1]) ἕως cum jâvat, τέως cum tâvat a stirpibus pronominalibus jas = ὅς, tas = τός derivandis comparandas esse, de hac re pauci dubitant. Sed de ea re cum Curtio consentire non possum, quod significationem indefinitam e relativa ortam esse dicit. Immo vero vim relativam, quippe quae sit cogitationis exercitatissimae, inter varias significationes postremum locum obtinere verisimile est. Iam vero coniunctionis ἕως duas formas propter metrum opus esse constat: alteram trochaicam, alteram iambicam. Trochaicam antiquiorem esse, inde intellegitur, quod postea in litteris Graecis forma iambica fere plane praevalet, cum apud Homerum compluribus locis forma trochaica propter metrum opus sit. Iam codices Homerici fere solas formas praebent et iambicam ἕως et spondaicam εἵως. Nauck vero, qui, hac quoque in re audacius codicum scripturam corrigere studet, nullo codicum testimonio usus, formam ἧος in textum recipit. Mea quidem sententia haec est, ut si propter metrum forma iambica opus est, quam posteriorem esse analogia eius rationis probabiliter confirmatur, quae inter formas ΑχιλλεϜος, — ῆος, — έως intercedit, τέως et ἕως, si trochaica τεῖος et εἷος in textum recipere non verear. At forma εἷος in libris non magis reperitur, quam ἧος. Hanc rem Bergk, L. Meyer, La Roche observaverunt, qui tamen illis locis, ubi propter metrum forma trochaica opus est, εἷος in textu collocaverunt, ceteris vero locis, ubi forma spondaica postulatur, non deleverunt lectionem εἵως, quam plerisque locis praebent codices plurimi. Infra videbimus, quo iure εἷος in textu ponamus. Nunc de multorum librorum lectione εἵως dicamus: huic duabus potissimum de causis ne minimum quidem momentum tribuendum est: primum quia omnibus locis, ubi propter metrum forma postulatur trochaica, aut formas εἵως et ἕως aut solam formam iambicam eamque in ipso versus initio usurpatam esse videmus, tum quia, ubi forma spondaica reperitur, posteriorem coniunctionis syllabam produci omnino

1) Ren. Mus 4, p. 243 (1846); Etymol. graec.[5] p. 397.

non necesse est, cum ubique id vocabulum, quod coniunctionem sequitur a consonante incipiat, ita ut posterior coniunctionis syllaba positione producatur. Ita forma *εἵως*, quae partim plane falsa partim non necessaria est, ne minimam quidem auctoritatem habet. Ac tam incerta lectio est, ut *μ* 327, ubi forma spondaica postulatur, libri exhibeant et *ἕως* et *εἵως*; tum *P* 727, *ε* 123, ubi ut metrica ratio servetur, per synizesim, quae dicitur, forma iambica *ἕως* in unam syllabam contrahatur necesse est, in libris quibusdam *εἵως* invenitur, denique *ν* 315, *ο* 153, ubi forma trochaica postulatur, in plerisque libris scriptum videmus *εἵως ἐνί* in initio versus. Porro ex *ρ* 358 *ἤσθιε δ' εἷος ἀοιδὸς ἐνὶ μεγάροισιν ἄειδεν,* ubi libri *ὥς ὅτ'*, pauci *ἕως ὅτ'* praebent, luculenter apparet, memoriam principalis illius formae trochaicae e mentibus sive eorum, qui canebant audiebantque sive eorum qui descripserunt, evanuisse. Nam hoc loco coniunctionis *ἕως* formam trochaicam usurpatam fuisse cum Nauckio iure contendam. Sed quia posterioribus temporibus de ea forma librarii, dubitabant, novam illam vel inusitatissimam *ἕως ὅτε* coniunctionum conformationem fingebant, quam ob rem posteriores quidam *ὥς ὅτε* hoc loco in textu posuerunt. *τ* 367 autem *ὅσσα σύ τῷ ἐδίδους ἀρώμενος, εἷος ἵκοιο* forma trochaica et usus finalis se consociaverunt, ut eum, qui codicem Augustanum scripsit, ad *ὥς ἄν* interpolandum perducerent. Sed *τ* 530 *παῖς δ' ἐμὸς ἕως μὲν ἔην ἔτι νήπιος ἠδέ χαλίφρων κτλ.* in tanto librorum consensu non ausim, cum Nauckio, formae trochaicae restituendae gratia, a lectione tradita *ἕως μέν* discedere, praesertim cum synizesis praeterea *β* 148, *ε* 123, 386, *P* 727 adhibenda sit, nisi forte eum Nauckio nimis audacter mutare volumus; *ψ* 151 La Roche cum libris AFHIKMNQS *ὄφρ' ἂν ἵκοιτο* recepit. Equidem ex hac librorum lectione nihil aliud concludendum esse puto, nisi librarios *ἕως* quam formam libri CELR praebent, non iam recte intellexisse et *ὄφρ' ἄν* recepisse, ut trochaeum restituerent. Quod iam Wolf et Bekker viderunt. Accedit analogia loci *τ* 367. Ita forma *εἵως* apud Homerum sine ullo iure toleratur. — Attamen restat vestigium quoddam antiquissimae formae trochaicae, ita ut hoc testimonio adiuti formam *εἷος*, quae per se maiorem fidem habet, quam

ἧος, omnibus illis locis restituere possimus, quibus trochaica et, ut vidimus, illis etiam, ubi forma spondaica opus est. Nam *Γ* 291 *αὖθι μένων εἷός κε τέλος πολέμοιο κιχείω,* ubi forma *εἷός κε* in antiquissimis exemplaribus usurpata fuisse videtur, plerique libri lectionem *εἵως κε* praebent. Unus codex H Vindobonensis *εἰσόκε* exhibet: hanc formam e litterarum *Σ* et *Ο* commutatione in textum venisse, maxime probabile est. — Huc accedit, quod forma *εἵως* prioris syllabae vocalis *ει* confirmatur. Sequitur, ut iure formam *εἷος* pro forma trochaica habeamus et in textum recipiamus, cum *ἧος* nullo tali modo confirmare liceat.

Postulatur vero forma mere iambica uno loco *β* 78 *χρήματ' ἀπαιτίζοντες, ἕως κτλ.* ubi Nauck nimirum *ἕως* pro forma vitiosa habet. — Iam forma trochaica postulatur locis viginti uno: *Α* 193, *Κ* 507, *Λ* 411, *Ν* 141, 143, *Ο* 539, *Ρ* 106, *Σ* 15, *Φ* 602, *δ* 90, 120, *ε* 365, 424, *η* 280, *ι* 233, *ν* 315 *ο* 153, 109, *ρ* 358, *τ* 367, *ψ* 151, spondaica (*εἷος* sequente consonante) totidem locis 21: *Γ* 291, *Δ* 342, 488, *Μ* 141, *Ο* 277, 390, *Ρ* 622, 730, *Υ* 41, 412, *Ω* 154, 183, *γ* 126, *δ* 800, *ε* 429, *ζ* 80, 376, *μ* 327, *υ* 321, *ρ* 390, *χ* 106 synizesis locis quinque *Ρ* 727, *β* 148, *ε* 123, 386, *τ* 530.

Eodem modo forma *τεῖος* pro genuina habenda est, quae *Τ* 189, *δ* 91, *ο* 127, *π* 139 restitui debet cum forma posterior iambica *Ω* 658, *σ* 190 legatur, synizesis autem cadat in locos *κ* 348, *ο* 231, *π* 370.

Iam vero significationis antiquioris adverbialis exempla extant octo *Μ* 141, *Ν* 143, *Ο* 277, *Ρ* 727, 730, *Φ* 602, *β* 148, *γ* 126, ubi *ἕως* significatione utitur indefinita. Hanc significationem adverbialem ab usitatissima discedere veteres eo iam designaverunt, quod *Μ* 141 librarius codicis Vindobonensis *τε* supra *ἕως,* Zenodotus *Ο* 277 *τείως* supra *εἵως* scripserunt, scholiastae codicum HMS ad *β* 148 *τὸ εἵως ἀντὶ τοῦ τέως* positum esse contenderunt. Quos secutus Nauck locis *Μ* 141, *Ο* 277, *Ν* 143, *Ρ* 727, 730 *τῆος* in textum recepit, quod *β* 148, *γ* 126 in adnotatione tantum proposuit. Sed indefinitam significationem hic postulari apparet. Uno loco *Φ* 602 *εἷος ὁ . . . διώκετο, . . . τρέψας . . . δόλῳ δ' ἄρα θέλγεν Ἀπόλλων . . . τόφρ' ἄλλοι Τρῶες . . . ἦλθον* Nauck

cum plerisque enuntiationem *τόφρα ἦλθον* (606) apodosim rectam esse ratus, *ἧος* admittit. Sed confiteor, id enuntiatum, quod v. 604 a *δόλῳ δ' ἄρα* incipit neque cum enuntiatione praecedenti in eodem structurae gradu collocari neque parenthesis loco positum esse posse. Immo vim indefinitam hic quoque valere censeo. Ita et *M* 141, ubi, si enixe elaboremus, demonstrativam quandam relationem statuere possimus, et septem, qui restant, locis significatio indefinita intellegenda est. *P* 727 vero in synizesi *ἕως μὲν γὰρ*, etsi est in prima arsi non magis offendo, quam in hiatu *ὣς Δαναοὶ εἷος μὲν κτλ.* *O* 277, qui ipsa arsi excusatur. — His igitur locis octo, ubi *ἕως* sensu indefinito utitur, structura est paratactica.

Sequuntur tres loci, ubi apodosis vera legitur, quae tamen a *δὲ* incipit: *A* 193 *εἷος ὁ ταῦθ' ὥρμαινε . . . ἕλκετο δ' ἐκ κολέοιο . . ., ἦλθε δ' Ἀθήνη*; *δ* 120 *εἷος ὁ ταῦθ' ὥρμαινε, ἐκ δ' Ἑλένη . . . ἤλυθεν*; *ε* 365 *εἷος ὁ ταῦθ' ὥρμαινε, ὦρσε δ' ἐπὶ μεγὰ κῦμα Ποσειδάων . . . .* Hic quoque enuntiationes paratactice adiunctae sunt.

Transitus vero ad structuram hypotacticam aliis locis cognoscitur. Videmus enim enuntiatum ab *ἕως* incipiens, cum sequenti enuntiatione eo consociari, quod adverbiis demonstrativis *τέως* et, quod multo usitatius est, *τόφρα*, temporalis illa descriptio indefinita, quam per *ἕως* fieri vidimus, respicitur et relatione quadam hypotactica actioni enuntiationis insequentis adnectitur. Ita adverbio *ἕως* in coniunctionem transgresso enuntiatio ea, in qua *ἕως* est, insequenti subiungitur. Sed haec structura hypotactica nondum tam accurate est definita, ut particula adversativa *δὲ*, quae in antiqua parataxi usitatissima est, omittatur. Huius generis quinque extant exempla: *K* 507, *Λ* 411, *O* 539, *P* 106, *ε* 424. Hic quater idem illud verbum *ὁρμαίνειν* ac supra (*A* 193, *δ* 120, *ε* 365) eandem introducit versus speciem ac formam, sed sequuntur *τόφρα δὲ*: *K* 507, *Λ* 411, *P* 106, *ε* 424.

O 539 *εἷος ὁ τῷ πολέμιζε μένων, ἔτι δ' ἔλπετο νίκην,*
τόφρα δέ οἱ Μενέλαος ἀρήιος ἦλθεν ἀμύντωρ

vertendum est: aliquamdiu dimicabat et victoriam se reportaturum esse sperabat, tunc autem Menelaus adiutor ei astitit. Item

ε 424 *εἷος ὁ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμὸν*
τόφρα δέ μιν μέγα κῦμα φέρε τρηχεῖαν ἐπ ἀκτήν.

Locis qui sequuntur quinque *O* 390, *Σ* 15, *Y* 41, *δ* 90, *μ* 327, relatio hypotactica artioribus finibus continetur: omittitur particula *δέ*. Sed munitur apodosis temporis adverbiis demonstrativis *τόφρα* et *τέως*.

O 390 *Πάτροκλος δ' εἷος μὲν Ἀχαιοί τε Τρῶές τε*
τείχεος ἀμφεμάχοντο θοάων ἐκτόθι νηῶν,
τόφρ' ὅ γ' ἐνὶ κλισίῃ ἀγαπήνορος Εὐρυπύλοιο

ἧστο, ubi ex subiecto *Πάτροκλος* enuntiationis, quae sequitur, principalis ante temporalem posito hypotaxis multo magis cognoscitur: item *Σ* 15, qui locus verbo *ὁρμαίνειν* usurpato, optimam transitus imaginem praebet, si comparamus *A* 193, *ε* 424 *εἷος — δέ, εἷος — τόφρα δέ, Σ* 15 *εἷος — τόφρα.* Restant loci *Y* 41, *δ* 90, *μ* 327.

Uno tantum loco *τ* 530 apodosis sequitur neque adverbio temporali neque alia particula munita: hic enuntiatio temporalis prorsus hypotactice cum sequenti apodosi est coniuncta.

Perfectissimae vero hypotaxis gradum ii loci praebent, ubi enuntiatio principalis temporalem praecedit. Quod in omnes, qui restant, locos viginti duos cadit: *ν* 315, *ο* 153, *ρ* 358, 390, *χ* 106; *Γ* 291, *Λ* 342, 488, *N* 141, *P* 622, *Y* 412, *Ω* 154, 183, *β* 78, *ε* 123, 429, *η* 280, *ι* 233, 376, *ν* 321, *ο* 109, *ψ* 151.

Iam plane intellegimus, quae sit significationum successio: initium duximus a significatione indefinita. Hic spatium temporis significatur, cuius termini non accurate describuntur. Tum tredecim illis locis, in quibus parataxis transitum in hypotaxim observavimus, apodosis sequitur, id quod idem in *τ* 530 cadit. Hic et quinque locis *ν* 315, *ο* 153, *ρ* 358, 390, *χ* 106, ubi enuntiatio principalis praecedit, significatio „quamdiu“ praevalet. Ceteris locis septendecim enuntiatio principalis ubique praecedit: hypotaxis est perfectissima. Hic demum incipit significatio „bis“, quae, ut supra vidimus, primum initium, tum finem actionis secundariae ad tempus

describendum confert. Denique sequitur significatio finalis, quae paullatim iam praeparatur significatione puncti temporis, quae, ut ita dicam, a descriptione obiectiva ad subiectivam delapsa, postremo finem maxime subiectivum, quem nos appellamus „Absicht“ describit.

Ὄφρα.

Multo saepius quam *ἕως* apud Homerum *ὄφρα* usu venit. Ac de etymologia quidem eam sententiam sequar, quam G. Curtius [1]) proponit, *ὄφρα* pronominis relativi esse casum instrumentalem, antiquo suffixo — *φι* formatum, cui particula *ἄρα* adiecta sit: ex hac forma *ὁ-φι-ρα* spiritu in lenem mutato per syncopen formam *ὄφρα* fluxisse. Quam vero L. Lange [2]) proponit sententiam, particulam *ὄφρα* ex *ὁ-παρά* = *παρ' ὅ* derivandam esse, ea a Curtio refutata esse videtur (l. l.), cuius disputationem A. Keil in dissertationem suam recepit (p. 7). Iam cum suffixo *-φι* non solum ratio instrumentalis afferatur, sed etiam et locativa (*Β* 480, *Π* 487) et ablativa (*Ι* 572) et dativa (*ε* 433, *Π* 366), significationem antiquissimam generalem quandam fuisse apparet. Sequitur, ut suffixo *-φι* prius temporis spatium quam punctum significatum esse, non sit absonum. Accedit, quod suffixum *-φι* apud Homerum non raro ad eum casum designandum usurpatur, quem accusativum extentionis appellamus. Nam *Ν* 308 et 309 *ἢ ἐπὶ δεξιόφιν παντὸς στρατοῦ, ἢ ἀνὰ μέσσους, ἢ ἐπ' ἀριστερόφιν, ἐπὶ* cum casu illo, quem instrumentalem appellamus, coniungitur, sicut cum accusativo in *ἐπὶ δεξιά, ἐπ' ἀριστερά.* Ita coniunctivo *ὁφι-ρα, ὄφρα,* si ad tempus refertur, complures actiones (status) tempore consociatas esse, i. e. in idem tempus incidere, significat.

Iam, ut ad parataxis vestigia discipienda transeamus, longum profecto est, de difficillimo loco illo *ο* 81 [3]) quaerere, qui ab Aristarcho expunctus, ab Ameisio ita explicatus est

---

1) Grundzüge der gr. Etym.^{5} p. 687.

2) Zeitschr. für österr. Gymn. 1863. S. 302.

3) *ο* 81 *εἰ δ' ἐθέλεις τραφθῆναι ἀν' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος ὄφρα τοι αὐτὸς ἕπωμαι, ὑποζεύξω δέ τοι ἵππους.*

ut ex insequenti *ἕπωμαι* ante *ὄφρα* supplendum esse diceret *ἕπομαι: ἕπομαι ὄφρα ἕπωμαι,* i. e. prosequar te per temporis spatium: etsi haec Ameisii sententia minime omnes difficultatis aufert, tamen nulla dum prolata est, quae plus probabilitatis haberet. Sed *Ο* 547 particulae *ὄφρα* usus adverbialis dilucide apparet:

ὁ δ' ὄφρα μὲν εἰλίποδας βοῦς
βόσκ' ἐν Περκώτῃ, δηίων ἀπὸ νόσφιν ἐόντων
αὐτὰρ ἐπεὶ Δαναῶν νέες ἤλυθον.

Hic Nauck *τόφρα* in textum recepit: sed postulatur significatio „aliquamdiu“, quam in adverbio *τόφρα* non esse scimus, cum vis indefinita analogia coniunctionis *ἕως* muniatur. Ex eo autem, quod parataxis antiquissimae unum tantum exemplum invenitur, intellegitur, quam saepe particula *ὄφρα* apud Homerum hypotactice usurpetur.

Ὄφρα enim praeter locos *Ο* 547 et *ο* 81, locis 48 de spatio, locis 59 de puncto temporis dictum est: inter 48 illos locos apodosis sequitur locis 26, quae tribus locis *Ε* 788, *Ι* 352, *κ* 176 a nulla particula incipit: ceterum in apodosi inveniuntur *τόφρα δὲ,* sexies *Δ* 220, *Ι* 550, *Ο* 343, *Σ* 257, *ι* 56, *κ* 125, *τόφρα δὲ καὶ,* semel, *Μ* 10.

τόφρα sedecies *Π* 193, *Θ* 66, 87, *Λ* 84, 187, 202, 357, *Μ* 195, *Ο* 318, *Π* 777, *Σ* 380, *ε* 361, *ζ* 259, *ο* 361, *υ* 328, *χ* 116.

Reliquis locis 22, ubi *ὄφρα* spatium temporis significat, *Β* 769, *Δ* 346, *Ε* 524, *Ζ* 113, *Λ* 266, 477, *Ξ* 358, *Ρ* 271, *Σ* 61, 409, 442, *Χ* 387, *Ψ* 47, *Ω* 553, *α* 233, *β* 124, 204, *γ* 353, *ϑ* 147, 181, *σ* 133, *υ* 136 enuntiatio principalis praegreditur; item omnibus iis locis 59, ubi *ὄφρα* temporis punctum significat. — Ita, omisso loco *ο* 81, inter locos centum et octo, ubi *ὄφρα* usu temporali fungitur, *ὄφρα* indefinitum semel, *ὄφρα* — *τόφρα δέ* etc. vicies quater inveniuntur, ita ut 25 tantum locis parataxis vestigia deprehendatur. Contra *ἕως* indefinitum octies, *ἕως* — *δέ* ter, *ἕως* — *τόφρα δέ* quinquies, *ἕως* — *τέως, ἕως* — *τόφρα* quinquies inveniuntur, ita ut inter 44 locis, ubi *ἕως* sensu temporali utitur, viginti unus parataxis vestigia servaverint. Non minus diversae sunt significationum progressiones: *ὄφρα* designat spatium temporis

locis 48, punctum locis 59, sensum finalem praebet locis pluribus quam 260; contra *ἕως* significat spatium temporis locis 19, punctum locis 17, sensum finalem locis quatuor prae se fert.

Ita *ὄφρα* et *ἕως* eodem modo ad tempus describendum usurpantur, sed *ὄφρα,* apud Homerum multo magis frequentatum quam *ἕως,* post Homerum evanuisse videtur, *ἕως* et apud Homerum et apud scriptores aetate posteriores adhibetur et in omnibus litterarum generibus temporalem significationem retinet. Simul sequitur, ut neque ratio temporalis necessario abeat in finalem et antiquior ea sit significatio, quae longius a ratione finali abest, scilicet spatii temporis.

VI. *Ἦμος.*

Buttmann[1]) *ἦμος* coniungit cum voce *ἦμαρ,* quam sententiam Pott[2]) sequitur. Cui vero ratiocinationi eam debeamus, ex commentatione Oseenii[3]) qui eandem etymologiam probat, intellegimus. Nam Oseen p. 29 recte dicit, „*ἦμος* de certiore et descriptiore tempore usurpari“: tum nimis temere adicit „ad momentum aliquod diei exprimendum“, id quod e propinquitate vocis *ἦμαρ* apparere vult. Quamquam enim saepe diei partes afferuntur, tamen non sequitur, ut *ἦμος* ab *ἦμαρ* derivetur et vertatur „am Tage“; accedit, quod *Η* 433, *Ψ* 226, praecipue *μ* 312 noctis non diei partes afferuntur. Ab hac etymologia discesserunt Bopp, Meyer, Christ[4]) qui uno consensu *ἦμος* et *τῆμος* cum particulis sanscriticis jâ-vat et tâ-vat comparare conati sunt. Quos Curtius refellit[5]), et demonstrat, quantum discriminis intersit inter usum temporalem particularum *ἦμος* et jâ-vat. Ut omittam, quod Doederlein[6]) contendit, *ἦμος* ex *ἅμα* et *ὅτε*

1) lexilogus 2, 228.
2) Etymologische Forschungen I[1], 98.
3) de enuntiationibus temporalibus Homericis, Lund 1868.
4) Bopp, Vergleichende Grammatik S. 503. L. Meyer, Vergleichende Grammatik 1, 87, 90. Christ, Lautlehre 93, 277.
5) Curtius, Grundzüge der gr. Etym. p. 594. Museum Rhenanum 1846, p. 249 ff.
6) Glossarium 1058.

esse conglutinatum, Curtius l. l. comparat *ημος* et *τῆμος* cum formis sanscriticis jas-mât et tas. mât, quae pronominum jas (*ὅς*) et tas (*τός*) casum ablativum singularis neutrius generis designant. Derivatur igitur *ἦμος* ab eadem stirpe atque *ἕως*. Sed pro casu ablativo temporis terminum „inde a quo“ significavisse videtur. Ex hoc termino usitata illa significatio orta est, quae ad *ὅτε* proxime accedit „ubi primum“.

Iam vero in coniunctionis *ἦμος* usu Homerico structurae paratacticae permultum elucet. Nam plus dimidio eorum, qui huc pertinent, locorum praebet enuntiationem principalem quae ubique sequitur, enuntiationi temporali particulis et copulativis et aliis adiunctam, quae parataxis indicia exhibent. Incipit enim apodosis

a *καί τότε,* quater, *Α* 477, *ι* 170, 307, *κ* 187,
a *καί τότ' ἔπειτα,* semel, *ι* 437,
a *καί τότε δή,* ter, *Θ* 68, *δ* 431, *ι* 58,
a *καί τότε δή ῥα,* semel *Π* 779,
ab *ἄρα,* quater, *β* 1, *δ* 306, *ϑ* 1, *τ* 428,
a *τῆμσς ἄρα,* ter, *Π* 433, *Ω* 788, *δ* 400,
a *τῆμος,* bis, *Λ* 85, *Ψ* 226,
a *δὴ τότε,* octies, *Α* 475, *ι* 168, 558, 560, *κ* 185, *μ* 8, *τ* 426, *ρ* 1,
a *τῆμος δή,* semel, *μ* 439.

His locis viginti septem parataxis vestigia servata sunt: decem, qui restant, loci hypotaxim ostendunt perfectam.

Iam illorum, quos dixi locorum nonnullis *ἦμος* verti potest: „suo certo tempore“, etsi inde non sequitur, ut haec antiquissima significatio fuerit. Adde quod *ἦμος,* quae coniunctio ubique in enuntiationis initio est, nunquam sine particula *δέ* subsequenti usurpatur; omnibus enim locis *ἦμος δέ* leguntur. Quare *ἦμος* temporis momentum affert non praecedentibus verbis iam constitutum, sed novum quoddam, ad quod definiendum una particula *ἦμος* sufficit. *Η* 433 *ἦμος δ' οὔτ' ἄρα πω ἠώς, ἔτι δ' ἀμφιλύκη νυξ, τῆμος ἄρ' ἀμφὶ πυρὴν κριτὸς ἤγρετο λαὸς Ἀχαιῶν:* certo temporis (scilicet noctis) momento aurora nondum elucebat, sed diluculum erat: iam eo temporis momento Achivorum delecti convenerunt. Suo certo — i. e. naturae legibus definito — temporis momento *Ψ* 226 lucifer prodit, aurorae adventum pronuntians, suo

tempore β 1 (multisque aliis locis) aurora ipsa in conspectum venit, suo tempore Θ 68 Phoebus medium in caelo cursum conficit, suo certo tempore Λ 475 sol occidit. Iis vero locis, ubi apodosis a nulla illius generis particula incipit et hypotaxis perfecta est, ἦμος in particulae ὅτε significationem abit, nisi quod utramque enuntiationis actionem in idem tempus incidere accuratius describit. Definitae porro temporis illi descriptioni optime convenit modorum ac temporum usus. Omnibus enim locis in enuntiatione ab ἦμος incipiente indicativus usurpatus est excepto uno loco δ 400 ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκῃ, τῆμος ἄρ' ἐξ ἁλὸς εἶσι γέρων ἅλιος νημερτής, ubi alii libri indicativum ἀμφιβεβήκει alii optativum ἀμφιβεβήκοι (iterativum, ut videtur) praebent, Bekker cum codice Vindobonensi concinnitatis temporum causa coniunctivum recepit. Cui eo magis assentior, quod coniunctivus pro futuri indicativo positus hic optimus est. Eidothea dicit: suo tempore Phoebus medium caeli orbem permensus erit, tum senex e mari emerget. In apodosi ubique indicativus reperitur. — Temporum vero usus non minus propriae illi significationi convenit. Expectamus aoristum, qui in enuntiatione temporali duodetricies, in apodosi vicies bis invenitur; ab usitato hoc aoristo, qui actionis effectum simpliciter affert, aoristus qui dicitur gnomicus discernendus est: hic bis tantum Λ 85, μ 439 in enuntiatione temporali usurpatus est. Adde quod imperfectum ad ἦμος quater, in apodosi quatuordecies positum est. Praeterea enuntiatio temporalis praesens tempus semel Ψ 226, plusquamperfectum pro imperfecto usurpatum semel Θ 68, perfectum (coniunctivum) semel δ 400, apodosis praesens pro futuro dictum eodem illo loco δ 400 continet.

VII. Πρίν et πάρος.

R. Foerster, de usu coniunctionis πρίν Homerico et Hesiodeo; miscell. Vratisl. 1863.

F. R. Richter, de particulis πρίν et πάρος eorumque usu Homerico, Lipsiae 1874.

F. R. Richter, quaestiones Homericae, I. de particula πρίν. Chemnitz 1876.

Oseen, p. 40.

Πρίν, adverbium comparativum e praepositione πρό comparativa illa syllaba -ιο- (quae est in κακ-ιο-ν-ς, κακίων) conformatum, itu ut neutrum προ-ιον in πρῖν sit contractum, inde a primis usque ad ultima litterarum graecarum tempora significat idem ac latinum adverbium temporis „prius". Adverbii instar est apud Homerum locis 124. Coniunctio vero eo fit, quod in enuntiationibus et dependenti et principali, nulla littera mutata, correlative ponitur. — Iam pro origine e praepositione πρό ducta plerisque locis cum infinitivo coniungitur, simili modo atque ipsum πρό, in litteris graecis adhibetur, nisi quod πρὸ infinitivum praecedente articuli genetivo praebet: πρὸ τοῦ ἐλθεῖν αὐτόν. Ita usurpatum adverbium πρίν nondum prorsus ex usu praepositionis adverbiali abiit in coniunctionis vim peculiarem: neque enim hoc fit, nisi πρίν cum verbo finito coniungitur. Conictionis vices obtinet locis 127. Ita temporis partim est adverbium, partim coniunctio: significat vero actionem vel statum prius quam alium quendam fieri, factum esse, futurum esse, qua re coniunctioni ἐπεί particula πρίν prorsus est opposita. — Iam cum dimidia fere ex parte πρίν adverbii vices retinuisse videatur, sequitur ut in priore quodam progressionis ex adverbio in coniunctionem gradu constiterit. Hac observatione cum illa comparata, qua particulam πρίν diverso ab aliis modo ex usu adverbiali in coniunctionem transiisse dicimus, magis etiam probatur ea sententia, qua structurae paratacticae in hypotacticam illam transitus speciem, quam correlationem appellamus, antiquiorem esse contendimus quam alteram, in qua adverbium quoddam simpliciter dictum in vim relativam abit et hypotaxim efficit. Itaque Richter (p. 28) recte statuit, πρίν per correlationem, non per iuxtapositionem fieri coniunctionem: sed cavendum est, ne inde concludamus, ceteras coniunctiones, antequam in perfectum usum relativum abierint, correlatione non usas esse, cuius etiam post Homerum permulta apparent exempla.

Πάρος adverbii temporalis, quod tempus praeteritum quoddam designat, munere fungitur locis 98, cum infinitivo aeque ac coniunctio πρίν coniungitur locis 15, cum verbo finito non coniungitur. Luculenter igitur hic apparent antiquiores progressionis ex adverbio in coniunctionem gradus.

VIII. Ὡς.

H. Graef, de coniunctionis ὡς origine et usu Memel 1874.

Ὡς propterea ad πρίν proxime se applicat, quod eadem illa correlatio, qua coniunctio usurpatur et demonstrative et relative, in ὡς valet. Tribus enim locis *A* 512, *Ξ* 294, *T* 16 in apodosi demonstrativum ὥς correlative respondet. Hanc dictionem antiquiorem imitatus est Theocritus,

Εἰδ. β 82 *χὡς ἴδον, ὣς ἐμάνην, ὥς μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη*
γ 42 *ὡς ἴδεν, ὣς ἐμάνη, ὣς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα*

et Vergilius ecl. VIII 41 Theocritum imitatur: „ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error“.

Ceterum ὡς a πρίν differt et etymologia et usu: ut jāt a jăs, ita ὡς ab ὅς derivandum esse Curtius[1]) iure contendit, qui spirantis illius gutturalis (j.) memoriam remansisse locis allatis probare studet, ubi ὥς postpositum syllabam, praecedentem producit: θεός ὥς etc. — Iam vero adverbii ὡς in coniunctionem mutati significatio principalis comparativa esse videtur: coniunctio temporalis eo fit, quod actiones complures coniungit, quae quidem eidem tempori praeterito sint tribuendae. Temporis vero praeteriti finibus inclusum duas actiones in idem temporis praeteriti punctum incidere declarat. Sunt igitur adhibita praeterita tantum tempora: ita in omnibus locis 64, ubi ὡς sensu temporali fungitur, inveniuntur in enuntiatione temporali aoristi indicativus quinquagies sexies, imperfectum octies, in enuntiatione principali aoristi indicativus undequadragies, imperfectum vicies, plusquamperfectum pro imperfecto usurpatum quinquies. Apodosis sequitur quadragies septies, praegreditur decies septies. Porro ἄρα in initio apodosis est duodecies *Z* 237, *H* 17, *K* 520, *Λ* 248, 575, *Π* 419, 818, *P* 198, *ϑ* 272, *o* 59, *χ* 407, *Γ* 396. — *Φ* 49 vero apodosis versu 53 demum sequitur: ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε, nam intercedunt enuntiationes, quae adiectivum γυμνόν explicant. Hic igitur structura paratactica est, quia apodosis incipit a δ' ἄρα. *B* 321 ὡς οὖν δεινὰ πέλωρα θεῶν εἰσῆλθ' ἑκατόμβας, Κάλχας δ' αὐτίκ' ἔπειτα θεοπροπέων ἀγόρευεν Nauck versum

1) Etymol. graec.[5] pp. 602, 603.

321 pro spurio habet, quod apodosis a δ' αὐτίκ' ἔπειτα incipiat. Immo hoc quoque loco parataxis apparet. Adverbio αὐτίκα apodosis praeterea nititur *E* 711, *Λ* 581, *Σ* 530, *Φ* 418, simili modo ἄψορρον, αὖτις inveniuntur. Ceterum hypotaxis est perfecta.

IX. Ὅτε.

Ab eadem stirpe relativa ὅς derivatur ὅτε, qui accusativus neutrius generis spatium vel punctum quoddam temporis significat, quo actio enuntiationis principalis fit. Vis antiquior adverbialis indefinita in iis formis cognoscitur, ubi librarii accentum posteriori syllabae attribuerunt. Sic legitur apud Homerum [*Π* 690], *P* 178, *Y* 49, *Σ* 599, *Λ* 64, 568 ita ut plerumque cum ἄλλοτε coniungatur. Tum ε 441 *ἀλλ' ὅτε δὴ ποταμοῖο κατὰ στόμα καλλιρόοιο*
ἷξε νεῶν, τῇ δή οἱ ἐείσατο . . . ., v. 444 *ἔγνω δὲ προρέοντα*
ut parataxis vestigium hic deprehendatur.

O 679 vero *ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν εὖ εἰδώς*
ὅς τ' ἐπεί κτλ. v. 685 *ὣς Αἴας . . . φοίτα,*
ad εἰδώς verbi substantivi forma ἐστί supplenda esse videtur, quam eandem ante ὅτε hic supplendam esse constat. In apodosi praeterea inveniuntur particulae hae: ἄρα, τόφρα δ' ἄρα (κ 569), δή ῥα τότε *Ω* 448, καὶ τότε cum δή, ἔπειτα, ἄρα coniunctae, ἔνθα, τότε δή, δὴ τότε, ἔπειτα, αὐτίκα: ex hoc particularum usu videmus, per ὅτε generalius tempus designari, id quod iam e particula τε ad stirpem ὁ adiecta apparet. Ceterum Friedlaender de ὅτε satis accurate disputavit (Berol. 1860).

X. Εὖτε.

A. Capellmann, schedae Homericae, Confl. 1850 p. 13.

Εὖτε paene eadem vi fungitur atque ὅτε, quam ob rem a Curtio[1]) ab eadem stirpe relativa (jas) derivatur, ita ut ex jote, ἐότε ortum sit. Thiersch vero (gr. gr. § 317, 4 *α*), quem Capellmann secutus est, docuerat εὖτε ita esse compositum, ut prior pars a stirpe ἐσ- (esse = perfectum esse),

1) Etymol. graec.[5] p. 611.

eodem iure sit derivanda, quo adverbium εὖ, posterior sit particula copulativa τε: vertendum igitur esse „gut und nun“ vel „und zugleich“. Viri docti dubitant, utri sententiae magis faveant: illud vero certum est, et εὖ pro ἅμα usurpari (εὖ πάντες = ἅμα πάντες) ϑ 37, 39, σ 259, Γ 72, 93 et εὖτε asyndetice, ut dicitur, sententiam inferre, quod copulativae particulae τε significationis aliquid prae se fert.

Iam ut eos locos praetermittamus Γ 10, Τ 386, ubi εὖτε = ἠΰτε sensu comparativo particularum ὡς ὅτε fungitur et facile in ἠΰτε commutari posse videtur, inter locos 27, ubi εὖτε = ὅτε usurpatur, enuntiatio principalis sequitur tredecies, contra praegreditur quatuordecies. Locis vero illis 13, ubi apodosis sequitur, fere omnibus parataxis antiquissima optime cognosci potest: in quibus saepe complures enuntiationes a δέ incipientes enuntiationem temporalem sequuntur.

γ 9 εὖθ᾽ οἱ σπλάγχν᾽ ἐπάσαντο, θεῷ δ᾽ ἐπὶ μηρί᾽ ἔκαιον
οἱ δ᾽ ἰθὺς κατάγοντο ἰδ᾽ ἴστια νηὸς ἐΐσης
στεῖλαν ἀείραντες, τὴν δ᾽ ὥρμισαν, ἐκ δ᾽ ἔβαν αὐτοί.

Μ 373 εὖτε Μενεσθῆος μεγαθύμου πύργον ἵκοντο
τείχεος ἐντὸς ἐόντες, ἐπειγομένοισι δ᾽ ἵκοντο,
οἱ δ᾽ ἐπ᾽ ἐπάλξεις βαῖνον ἐρεμνῇ λαίλαπι ἶσοι
ἴφθιμοι Λυκίων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες.

His locis enuntiationes paratactice inter se excipiunt: εὖτε pro adverbio haberi potest. Idem accidit ρ 359, υ 56, Ψ 62. Praeterea sequuntur in apodosi: δ᾽ ἄρα χ 182, τόφρα δέ υ 73, καὶ ν 78, καὶ τότε δὴ ω 147, τῆμος δὴ ν 93, ἔνθα Ζ 392, ἔπειτα ρ 320. Uno denique loco Λ 735 εὖτε γὰρ ἠέλιος φαέθων ὑπερέσχεθε γαίης, συμφερόμεσθα μάχῃ Διί κτλ. sicut iis, qui restant, locis 14, in quibus enuntiatio principalis praegreditur, hypotaxis est perfecta. Temporum ac modorum usum, qui in ὅτε similis est, haec tabula nos doceat.

Tempora et modi in particulae εὖτε structuris Homericis adhibiti.

	Tempora et Modi	In en. tempor.	In en. princip.
1.	Aoristi indicativus	9	8
2.	Imperfectum	8	9
3.	Plusquamperfectum	1	1
4.	Indicativus Futuri	.	2
5.	Praesentis indicativus	.	6
6.	Praesentis coniunctivus	4	.
7.	Praesentis imperativus	.	1
8.	Aoristi coniunctivus	5	.
		27	27

XI. XII. Ἡνίκα et Ὁσσάκι.

Coniunctiones temporales ἡνίκα et οσσάκι ad parataxim dispiciendam paene nihil valent: illa (ἡνίκα) χ 168 tantum usurpata eundem sensum atque ὅτε exhibet, haec (ὁσσάκι) tribus locis Φ 265, Χ 194, λ 585 ita adhibita, ut τοσσάκι in apodosi subsequatur, actionem iteratam affert, quae cum altera iterata in idem tempus incidit. Tantum denique moneamus, cum ηνίκα prorsus hypotactice usurpetur, ὁσσάκι in eo progressionis gradu constitisse, qui ad hypotaxim proxime accedit: enuntiatio principalis enim, quae ubique temporalem sequitur, ab adverbio demonstrativo τοσσάκι incipit.

VITA.

Ego, Gottwalt Dietrich, natus sum pridie Id. Sept. h. s. LXII sub monte illo, qui dicitur Kyffhaeuser in vico Sittendorf, patre Eduardo, qui tunc illius vici administrabat res ecclesiasticas, nunc in vico Breitungen eodem fungitur officio, matre Alma e gente Trinius. Parentes superstites esse magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Patris auspiciis primis litterarum elementis imbutus vernali tempore anni LXXIII in numerum discipulorum gymnasii Nordhusani sum receptus, quod inde ab anno LXXIV rectore Gustavo Grosch, viro perillustri, floret. Mense Aprili anni LXXXI maturitatis testimonio munitus Lipsiam me contuli operam daturus studiis philologicis et theologicis: illic per quinque semestria scholas frequentavi professorum Biedermann, Brugmann, G. Curtius, Delitzsch, Drobisch, Eckstein, Fricke, Hirzel, Holzapfel, Kahnis, L. Lange, Lechler, Lipsius, Luthardt, Pückert, Ribbeck, W. Schmidt. Seydel. Per duo semestria proseminarii philologici, cui praeest Lipsius, sodalis fui. Autumno anni LXXXIII Halas Saxonum commigravi, ubi per hiemem insequentem scholis interfui professorum Dümmler, Heydemann, Keil, Schum. Per aestatem proximam dissertationi meae scribendae domi tempus impendi. Viris illustrissimis, quorum institutione usus sum, optime de me meritis omnibus gratias ago quam maximas, imprimis H. Keilio viro humanissimo maximeque ingenuo, qui consilio liberali valde me adiuvit.

THESES.

I.

Coniunctionis ἕως forma antiquior trochaica fuit *εἷος*.

II.

Coniunctionum ἕως et *ὄφρα* significatio „quamdiu“ antiquior est significatione altera „bis“.

III.

Quod de Leucippo philosopho dicit Epicurus apud Diogenem Laertium *X* 13 *ἀλλ᾽ οὐδὲ Λεύκιππόν τινα γεγενῆσθαί φησι φιλόσοφον* fidem non habet.

IV.

Andocidis *περὶ τῶν μυστηρίων* § 12, 5 (Blass) scribendum est: *ἤγαγον θεράποντα Ἀρχεβιάδου τοῦ Πολεμάρχου.*